Justitia in sese Virtutes continet omnes

CATECHESIS DAVIDIS CHYTRÆI.

Postremò nunc ab ipso Autore recognita, & multis in locis aucta.



LIPSIAE,
EX OFFICINA TYPOGRAphica ABRAHAMI LAMBERGI.

M. D. XCIV.

PIO ET CANDIDO LECTORI.

FILIVM DEI DOCTOREM ET SERuatorem nostrum IESVM CHRISTVM ardentibus votis quotidiè precor, vt omnes in Scholis docentes & discentes, & me in eis, Spiritu suo sancto, ipse doceat & gubernet, vt ipsi grata, & teneræ ætati, quæ seminarium est Ecclesiæ & Reipublicæ, salutaria discam & doceam. Cū autem in hac Balthici littoris Sarepta studijs seruirem: tradidi auditoribus, inter cætera, hæc Catecheseos Christianæ elementa, ex locis Theologicis præcipuè ediscenda. Quæ ante viginti annos, me planè inscio & ignaro, à præceptore & collega tùm meo, D. Iohanne Aurifabro, primùm typographo data & exprimi cœpta sunt. Ea cùm aliquoties à me deinceps retexta & aucta, in multis scholis vsurpari intelligerem: denuò adhibitis collegis meis, hoc mense relegi. Ac ne prolixitas discentes remoraretur: typis grandioribus, pauca, quæ pueris ad ediscendum initiò vtiliter proponi iudicauimus; cætera verò, quæ statim mandari memoriæ non est necesse, exilioribus literis, excudi à typographo petiuimus. Et quanquam tenuem adhuc & puerilem hunc libellum esse, & multiplici lima indigere ipse agnosco: tamen nihil in eo mutare deinceps decreui. DEVM precor, vt studijs piæ iuuentutis benedicat, & depositum veræ doctrinæ purum & illibatum inter nos custodiat & tueatur.

Vespera iam venit, nobiscum CHRISTE maneto: Extingui lucem nec patiare tuam. Die Lucæ. Anno 1575.



CLARISSIMI VIRI, NOBILITATE GENERIS ET VIRTVTE PRAESTANTIS, D. Petri à Menzingen, equitis aurati, & Mecœnatis, optimè de se meriti, filio Bernhardo à Menzingen.

Dauid Chytræus.

PVRISSIMA ET optima pars generis humani, & seminarium ac flos Ecclesiæ Dei præcipuus, est tenera ætas, quæ donum Spiritus sancti in Baptismo acceptum retinens, veram de Deo & redemtore nostro IESV CHRISTO doctrinam studiosè discit, & casta mente, simplicíq; ac pura fide Deum inuocat, & alacri ac læto corde pro beneficijs ab eo acceptis gratias agit, & in studijs ac reliquæ vitæ partibus mandata officia exequens, Deo & parentibus reuerenter obedit.

Præcipuè igitur placent Deo primæ ætatis ſtudia: inuocatio, obedientia, & laudes quantumuis infirma & balbutienti voce Deum celebrantes. Sicut hac ingenti gloria ornatur à Chriſto, quòd non modò probetur, & iucunda ac curæ ſit Deo, verùm etiam laudes Deo perficiat, & Chriſto inſerta, regni cœleſtis ciuis exiſtat. *Talium eſt enim regnum cælorum: inquit Chriſtus. Et: Non eſt voluntas Patris cæleſtis, vt pereat vnus de paruulis iſtis. Niſi cõuerſi fueritis, & fiatis ſicut pueri, non ingrediemini in regnum cælorum. Item, Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem.*

Hæc ampla & glorioſa teneræ ætatis præconia, ſinguli parentes & præceptores, in ſuis cubiculis & Muſæis inſcribant, & quantus theſaurus ipſis commendatus ſit in docenda & regenda iuuentute conſiderent, & ſe præclarè de Eccleſia Dei mereri, & cultum Deo gratiſsimum præſtare ſciant, cùm in ſuis familijs & ſcholis, παισὶν χρήσιμα διδάσκουσι, & pueritiam de Deo & Redemtore noſtro Iesv Chri-

CHRISTO fideliter erudiunt, & vnà cum primis artibus & literis, seu potius cum lacte nutricis, succo veræ agnitionis Dei & pietatis ac cæterarum virtutum Deo placentium imbuunt. Omninò enim teneris puerorum mentibus instillari necesse est, quidquid radices agere & firmiter hærere in omni reliqua ætate volumus.

Prima autem & summa omnium, qui homines à Deo conditi, & per Filiũ ipsius redemti sunt, cura & solicitudo hæc esse debet, vt Deum Conditorem & Redemtorem nostrum IESVM CHRISTVM rectè agnoscãt, & vero timore ac fide, & omnibus pietatis officijs ab ipso mandatis religiosè colant. Etsi enim non omnes, qui in studijs versamur, ex professo Theologi esse possumus: nam hæc hominum vita multis etiam alijs artibus indiget: tamen omnes, qui se homines dici volunt, aliquid temporis discendæ veræ de Deo doctrinæ, quàm immensa bonitate certis scriptis comprehensam Deus Ecclesiæ tradidit, & veræ sui agnitionis & inuocationis, & consiliorum actionumq; vitæ omnium normam esse voluit, tribuẽdum esse intelligunt. Cumque agnitio & inuocatio Dei, Filij ipsius

Domini nostri IESV CHRISTI, ad omnes homines, & ad omnes ætates pertineat: profectò non senes tantùm, & prudentia ac eruditione præstantes, sed teneram quoq; & puerilem ætatem imbui vera pietate & agnitione Dei, & ad librorum sacrorum & doctrinæ in eis traditæ lectionem & studia, & præsertim in scholis & familijs Christianis, assuefieri oportet, sicut grauissima hæc oracula diuina, primæ ætati studia doctrinæ â Deo traditæ mandant: A puero sacras literas noueris, quæ te possunt erudire ad salutem per fidem in CHRISTO IESV. Item, Erũt verba, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo: & narrabis, seu, vt Ebræi fontes habent, ACVES ea liberis tuis, hoc est, diligenter & accuratè limata & illustrata propones & asiduè repetes & inculcabis, & seuerè à liberis tuis diligentiam discendi exiges, & dictata reposces. Notum est & Pauli præceptum: *Educate liberos in disciplina & doctrina Domini*: quod non tantùm mores primæ ætatis honestè & diligenter regi, & ingenia literis ac optimarũ artiũ cognitione excoli, verum etiam doctrinam de DEO in Domino nostro IESV

CHRISTO in libris ſacris traditam ipſis legendam & diſcendā proponi,& aſſiduè inculcari & infigi iubet, Et Pſal.78. *Mandauit patribus noſtris, nota facere ea filijs ſuis, & filij, qui naſcentur narrabunt ea filijs ſuis, vt ponant in Deo fiduciam ſuam, & non obliuiſcantur operum Dei, & mandata eius ſeruent. Pſal. 119. Quare mundā facit adoleſcēs viā ſuam? cuſtodiendo ſermones tuos.*

Hæc ſeueriſsima mandata Dei, quæ & ipſis adoleſcentibus, ſacrarum literarum & verbi diuini ſtudium & cuſtodiam diligentem præcipiunt, & parentes præcipuè ac præceptores, qui in parentum locum ſuccedunt, liberis ſuis ac diſciplinis ſemina veræ de Deo doctrinæ in ſtillare iubent: Me etiam impulerunt, vt in hac Balthici littoris Sarepta, in quam fato quodam meo delatus ſum, pro officij mei ratione, iuuentuti ſtudioſæ ſummam doctrinæ diuinitus traditæ, diſtributam in paucos locos, & additis definitionibus ac partitionibus illuſtratam, ante ſedecim annos proponerem: & velut

ἐπιτομὴν locorum Theologicorum Philippi, quos tunc profitebar, tradere conarer.

Eam veræ de Deo doctrinæ methodum, superiori anno á me recognitam, & multis definitionibus, alijsq; vtilibus quæstionibus auctam, Tibi, carissime BERNHARDE, dedico: tùm vt clarissimi patris tui, & beneficiorum, quæ ab ipso, sumtus studiorum mihi in aliquot Academijs benignè & liberaliter suppeditante, amplissima & planè paterna accepi, memoriam gratam me conseruare, qualicunque testimonio ostenderem: tùm vt tibi studia doctrinæ & virtutis, magna cum spe & expectatione omnium nostrum ingresso gratularer: & quanquam scio, á viris eruditissimis & optimis præceptoribus tuis eadem te isthic quotidie audire: tamen meo etiam loco hortator essem, vt eximiam generis nobilitatem, eximiæ eruditionis & virtutis ornamentis augeres, & cæterarum artium & linguarum studijs, veram de Deo & redemtore nostro IESV CHRISTO doctrinam adiungeres.

Cùm enim fines studiorum proximi & immediati sint, sapientia seu cognitio rerum, & facultas rectè & perspicuè de

rebus

rebus propositis dicendi aut scribendi: primus & summus sapientiæ & virtutis gradus est agnitio Dei seu pietas vera, vt grauissimè dixit religiosa antiquitas: ἡ τοῦ θεοῦ γνῶσις σοφία ἐστὶ καὶ ἀρετὴ ἀληθινὴ, ἡ δὲ ἄγνοια, ἀμαθία ἤδη καὶ κακία ἐναργής. Vt autem alijs animantibus homines ratione & oratione excellunt: ita homo homini præstat his ipsis dotibus doctrina excultis & politis.

Maximè igitur natos in familijs nobilibus & heroicis, quos reliquæ hominum multitudini præesse, & publica gubernationis consilia regere Deus voluit, præ cæteris se doctrina *liberalium* artium, diuinarum humanarumq; legum noticia, & inprimis agnitione Dei, iusticia & pietate vera instruere & exornare decet, vt quemadmodum loco & ordine, seu splendore familiæ & opibus, ita etiam sapientia, pietate & iusticia ac doctrina cæteris hominibus antecellant. Fundamentum enim veræ nobilitatis est, non maiorum dignitas tantum & opes posteris relictæ, sed virtus, sapientia, iusticia, fortitudo, doctrina & eloquentia eximia, quæ Dei gloriæ, patriæ, Ecclesiæ ac Reipublicæ seruit, & de reliquo genere humano benè meretur. Etsi autem, cùm di-

 uinitus

uinitùs ordinum distinctio facta sit, præstantes ad virtutem inclinationes, & motus animorum acriores & ardentiores, in familijs Heroicis propagari consentaneum est: tamen hos doctrina & legibus ac disciplina, & exemplis honestis exuscitari, regi & expoliri oportet.

Ac Leges & Regulas consiliorum & actionum vitæ honestarum ferè omnium, tùm in multis alijs, præcepta institutionis vitæ & morum laudabilium continentibus scriptis, tùm verò etiam in hoc Catecheseos libello breuiter expositas habes, virtutum omnium & officiorum Deo & alijs hominibus, & nobis ipsis debitorum, Definitiones, in Decalogi præcepta distributas, ad quas tanquam normas, non facta solum & dicta, verùm etiam consilia & cogitationes nostræ omnes sunt dirigendæ.

Exemplum autē pij & iusti viri, & prudentia politica, omniumq́ue virtutū Deo placentium complexione ornati Herois, & industrij ac seduli patrisfamilias, tibi in clarissimo patre propositum est. Ad quod si literarum etiam, & latinæ eloquētiæ decus adiunges, nouæ & amplioris Nobilitatis initium, & illustrioris virtutis exemplum posteris futurus es.

Doctri-

Doctrinam verò altricem ſapientiæ, & virtutum cæterarum rectricem, & Diſciplinam, quæ admonitionibus & exercitiis quotidianis, exemplis, præmijs, pœnis, & adimendis delinquendi occaſionibus animos teneros, ad pietatem erga Deum, & gubernationem morum honeſtam aſſuefacit: ſcio tibi optimam & laudatiſsimã contigiſſe, viuenti iam aliquot annos in celeberrima Argentoratẽſi Academia: quæ, vt olim Athenæ, ἑλλάδος παίδευσις, magiſtra doctrinæ & virtutis toti Græciæ eſſe dicebantur, & Romanis temporibus Maſſylia, honeſtæ & ſeueræ diſciplinæ cuſtos, & artiũ bonarum officina laudatiſſima fuit: ita hodiè in Germania, & Maſſyliam ſeueritate diſciplinæ ac morum, & Athenas doctrinarum omnium luce, & orationis præcipuè ſanitate, prudentia, puritate, & elegantia repræſentat. Vtrunq; verò ſuperat hoc illuſtri & ſummo decore, quòd veri Dei domicilium & templũ eſt, & veræ ac incorruptæ de FILIO DEI, Domino & Redemtore noſtro IESV CHRISTO, doctrinæ cuſtos fidelis & vindex eſt. Bene & feliciter vale.

Ex Academia vrbis Roſarum, poſtridie γενεθλίων FILII DEI, inchoantium

annum

annum 1568, qui est ab initio mundi annus 1530. Quem vt felicem & faustum tibi, & nobilissimæ matri tuæ, & toti Ecclesiæ ac Reipublicæ tribuat FILIUS DEI nobis datus, toto eum pectore precor.



CATECHESIS DOCTRINÆ CHRISTIANAE.

Quid est Catechesis?


ST SVMMA DOCTRInæ Christianæ certa methodo comprehensa.

Quid est Theologia seu doctrina Christiana?

THEOLOGIA est doctrina de DEI essentia & voluntate ac beneficijs generi humano propter Christum Mediatorem exhibitis, & cultibus ipsi vicissim debitis, patefacta in verbo DEI, per Prophetas & Apostolos tradito, & illustribus testimonijs miraculorum confirmata, per quam Deus verè efficax est, & veram sui agnitionem, remissionem peccatorum & vitam æternam credentibus impertit.

Rami: Theologia e doctrina bene vivendi. Vel Theologia e doctrina bene beateq. vivendi.

Quæ sunt capita doctrinæ Christianæ præcipua?

Duo.

1. Lex Dei, seu præcepta Decalogi: & 2. Evangelion, seu promissio Gratiæ Dei & vitæ æternæ, propter Christum gratis donandæ.

Ex his duobus fontibus, qui velut metæ & normæ sunt totius sacræ scripturæ rectè intelligendæ, omnes reliqui doctrinæ Theologicæ loci nascuntur & emanant: & ad duo hæc prima puerilis Catechismi nostri capita, videlicet Decalogum, & Symbolum fidei, omnes sacræ scripturæ conciones, dogmata & Historiæ referri possunt. Sed tamē vt series & summa doctrinæ amplissimæ, in plura membra distributæ, illustrior sit, & facilius conspici & infigi animo ab adolescentibus possit: numerabimus sine superstitione DECEM LOCOS Doctrinæ Christianæ præcipuos, ad quos omnia, quæ in verbo Dei, Patribus, & quibuscunq; alijs scriptis concionibus, lectionibus & disputationibus Theologicis legunt, vel audiunt studiosi, referre, & velut in classes certas, seu membra vnius corporis aptè inter se coagmentatas, digerere, animoq; complecti queant.

LOCI DOCTRINÆ CHRISTIANÆ PRÆCIPVI DECEM SVNT.

I. De Deo, seu vera Agnitione & Innoca-

Inuocatione vnius veri DEI Patris, Filij, & Spiritus sancti.

II. DE HOMINE ad imaginem Dei creato.

III. De LEGE DEI.

IIII. De PECCATO.

V. De EVANGELIO annuncian-te Remissionem peccatorum propter Christum, & de FIDE IVSTIFI-CANTE.

VI. De Noua obedientia seu BONIS OPERIBVS.

VII. De Pœnitentia & absolutione.

VIII. De SACRAMENTIS, Baptismo, & Cœna Domini.

IX. De ECCLESIA, & de Cruce ac consolationibus Ecclesiæ.

X. De Immortalitate Animæ, Resurrectione corporum, extremo Iudicio, & VITA AETERNA.

Quid est RELIGIO Christiana?

RELIGIO Christiana est in Christum credere, & DEVM colere iuxta ipsius verbum: Vel RELIGIO CHRISTIANA, est praxis Theologiæ, videlicet vnum verum Deum Patrem, Filium, & 1

Spiri-

Spiritum sanctum, iuxta doctrinam ab ipso patefactam agnoscere, & verè timere iram ipsius aduersus peccata, & credere propter CHRISTVM mediatorem sibi peccata remitti, & DEVM propitium esse, & hanc fidē Sacramentis à Christo institutis obsignare, & prælucente hac fide, eum inuocare & colere bonis operibus, quibus se in suo verbo coli præcepit, propter hunc finem, vt Deus honore afficiatur. Ignatius. οὐ μόνον καλεῖσθαι δεῖ χριστιανοὺς, ἀλλὰ καὶ εἶναι. οὐ γὰρ τὸ λέγειν, ἀλλὰ τὸ εἶναι, μακάριον ποιεῖ.

Quod est discrimen inter Religionem Christianam & Ethnicam?

RELIGIO Ethnica est sine certo Dei verbo, & sine vera in Christum fide vagantem, loco vnius veri Dei varia & commenticia numina & idola multiplicia colere ceremonijs & operibus ac sacrificijs humano arbitrio electis, quibus peccata sua compensari, & Deos sibi placatos & propitios reddi, & velut emi ab illis bona fingunt.

Etsi autem Cicero, Plato, Seneca & similes Ethnici saniores, ex lege naturæ, & opificio mundi, agnoscunt, esse Deum, mentem æternam, conditricem mundi, sapientem, iustam, vindicem scelerum:

Quotmodis Cognoscitur Deus? duobus ex libro naturae et Scripturae simul

rum: & de officijs virtutum & externis moribus multa honestißimè præcipiunt: tamen hi ipsi, cùm non regantur verbo Dei, contra ipsius naturæ iudicium idolatricos monstrosæ multitudinis deorum cultus retinent, & pariter creatorem mundi, Angelos bonos, dæmones, diabolos & Heroas mortuos, DEOS nominant: & hæc idola, vt lege & more quolibet loco recepta sunt, colenda esse sanciunt, sicut Pythagoras, summam religionis Ethnicæ complectens præcipit. Ἀθανάτους μὲν πρῶτα θεοὺς, νόμῳ ὡς διάκειντα, τίμα.

Deinde, Ethnici Euangelium de Filio Dei Domino nostro IESV Christo, & de gratuita remissione peccatorum, & vita æterna credentibus gratis propter Filium mediatorē donanda, prorsus ignorant. Nulla est autem vera religio, & Ecclesia Deo placens, vbi non est vera noticia Christi, Ioh. 14. Nemo venit ad Patrem nisi per me. Iohan. 3. Qui non credit Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manebit super eum.

Præterea etiam Legis Dei & virtutum doctrina apud Ethnicos mutila & manca, & multipliciter deprauata est, *vt Cicero in officijs, & Aristoteles in Ethicis, ex professo virtutum explicationem instituentes, nullam ferè mentionem faciunt Dei & primarum virtutum, Pietatis erga DEVM, Timoris Dei, Inuocatio-*

nis Gratiarum actionis, &c. quarum tamen noticiam aliquam natura in mentibus hominum lucere, Platonis etiam & Homeri sententiæ ostendunt. Deniq; totius primæ tabulæ Decalogi & sexti etiam præcepti noticia, & tota doctrina de interiore cordis immundicie, quam Lex arguit, & perfecta cordis obedientia, quam Lex flagitat, apud Ethnicos planè obscurata & corrupta, & ferè prorsus deleta fuit.

Quæ est causa certitudinis in doctrina Christiana?

Summa & præcipua causa certitudinis est autoritas & PATEFACTIO *diuina, in libris Prophetarum & Apostolorum comprehensa, seu,* DIXIT DOMINVS: *qui veritas ipsa est, & mentiri nescit.*

Huic æternæ & immotæ veritati, Spiritu sancto duce assentientes, plurimum etiam sequentia Testimonia confirmant: vt certius statuant, quòd sola hæc doctrina de DEO*, in scripturis sanctis tradita, sit certa, vera, diuina, & sola hominibus arcanam voluntatem Dei patefaciat.*

I. MIRACVLA *propria naturæ diuinæ & omnipotentis, vt resuscitatio hominum mortuorum, repressus cursus solis, & similia, quibus sola doctrina Christiana confirmata est.*

II. *Vniuersalis experientia omnium piorum in quotidiana inuocatione & exercitijs pœnitentiæ.*

III. Anti-

III. *Antiquitas Doctrinæ Moysis & Prophetarum.*

Vaticinia illustria & perspicua de rebus maximis, de voluntate Dei, de aduentu Christi, de serie & mutationibus imperiorum, quæ omnia sic euenerunt, & prædicta sunt.

Ipsum genus doctrinæ, patefaciens arcana & ignota humanæ rationi.

Miranda conseruatio Ecclesiæ.

Odium Diaboli aduersus hanc doctrinam.

Series doctorum & instauratorum doctrinæ continua, inde vsq. ab initio Ecclesiæ.

Series annorum mundi continua, quæ nusquam alibi conseruata est.

Noticia Legis Dei integra.

Doctrina de coniugio & castitate, quæ in sola etiam Christiana religione illibata permansit.

Sanguis omnium Martyrum.

Pœna blasphemorum & persecutorum.

Testimonia scripturæ, 1. Thess. 2. Accepistis non verbum hominis, sed sicut reuera erat, verbum Dei, quod & efficax est in vobis credentibus. 2. Pet. 1. Non voluntate hominum allata est doctrina Prophetica, sed à Spiritu sancto impulsi, locuti sunt sancti Dei homines, &c.

Quæ est optima ratio studendi in Theologia?

Tria sunt præcipua instrumenta, (quæ Luthe-

rus in præfatione primi Tomi Germanici, ex Psalmo 119. commemorat) quibus vera & salutaris doctrinæ Christianæ cognitio parari potest.

I. PRECATIO *ardens & quotidiana, vt Deus ipse nos doceat: & studia nostra Spiritu suo sancto gubernet & adiuuet, sicut Dauid precatur: Domine, fac cum seruo tuo secundùm misericordiam tuam, & iustificationes tuas doce me. Seruus tuus sum ego, da mihi intellectum, vt discam testimonia tua. Vias tuas Domine ostende mihi, & semitas tuas edoce me. Dirige me in veritate tua, & doce me: Nulla enim studia sunt felicia & salutaria, nisi à Deo mentes regantur. Irenæus: Deum discere nemo potest, nisi Deo docente.*

II. *Studium seu meditatio & diligentia in discendo.*

III. EXPERIENTIA *seu* PRAXIS, *quâ doctrina discendo percepta, in quotidiana inuocatione & exercitijs pœnitentiæ, in doloribus ortis ex sensu iræ Dei & pœnarum, in studijs & laboribus nostræ vocationis, in petendo & expectando Dei auxilio, deniq; in toleranda sancta cruce, & tentationib. ac ærumnis multiplicibus, ad vsum transfertur: in quibus fides, inuocatio, spes, patientia, humilitas, & cæteræ virtutes, in quarum cultura religio Christiana potiss. sita est, exercentur, crescunt & expoliuntur, & vis ac efficacia verbi diuini experiundo cognoscitur.*

Studium autem Theologicum, seu labores

bores diſcendi, hiſce regulis gubernentur.

Prima cura ſit, vt TEXTVM BIBLIORVM *nobis familiariſsimè notum reddamus, ex quo ſolo tanquam ex auguſto & perenni fonte, vult Deus doctrinam de vera ſui agnitione & æterna ſalute noſtra hauriri. Et hoc vno modo & non aliter, quàm per lectionem & cogitationem Textus verbi diuini efficax eſt, & veram ſui cognitionem, iuſtitiam, & vitam æternam in cordibus accendit. Quotidie igitur manè poſtquam ſurrexerunt, & veſperi cùm cubitum ituri ſunt, vnum caput in Biblijs ſtudioſi legant, & ordine ea euoluant & præcipua dicta, & hiſtorias, in partes Catecheſeos, ſeu in locos, qui ſummam doctrinæ Chriſtianæ continent, digeſtas meminerint.*

2. *Summa Doctrinæ Chriſtianæ, continens præcipuos articulos pia & erudita methodo expoſitos, animo complectenda eſt: ad quos omnia, quæ in Theologia, legimus, audimus, diſcimus, dextrè referantur. Hanc commodiſsimè ex libello Examinis vel locorum Theologicorum aſsiduè & attentè lecto & relecto, ſtudioſi diſcent.*

3. LINGVAE *Ebrææ & Græcæ cognitio neceſſaria eſt, vt ex fontibus, veram de Deo doctrinam haurire, & cum Filio Deo, Prophetis & Apoſtolis ſine interprete colloqui poſsimus.*

4. *Dialectica Methodo in diſcenda & docenda*

cœlesti doctrina & refutandis veritatis corruptelis opus est.

5. *Disputationum & declamationum exercitia suscipienda sunt, quæ & iudicium de veris sententijs confirmant & acuunt, & facultatem propriæ & perspicuæ orationis, ad explicationem dogmatum necessariæ, pariunt.*

6. *Aliorum eruditorum & Patrum commentarij legendi sunt, vt iudicijs & consensu Ecclesiæ catholicæ nostram fidem confirmemus.*

7. *Historia totius Ecclesiæ & inprimis veterum certaminum & iudiciorum primitiuæ Ecclesiæ, quæ Apostolorum temporibus vicinior fuit, cognoscenda est, ex Patribus vetustissimis, & scriptoribus historiæ Ecclesiasticæ, & actis consiliorum, ex canonibus Iuris pontificij, Magistro sententiarum, &c.*

8. *Totius Philosophiæ, artium dicendi, Ethicæ ac Politicæ, Arithmeticæ, Physicæ, Astronomiæ, Geographiæ, & cæterarum artium, quæ in Scholis traduntur, cognitio, in explicanda doctrina & libris sacris, magno vsui, & alioqui Ecclesiæ singulari præsidio & ornamento est.*

Quid sunt Scholæ?

SCHOLAE sunt cœtus docentium & discentium literas, linguas & artes, Deo gratas, & Ecclesiæ Dei ac Reipublicæ necessarias.

Propter

Propter quas causas necesse est coli in Scholis studia literarum & præcipuè Catechesin disci?

Homines ideò conditi sunt, vt Deum conditorem & Filium ipsius redemtorem nostrum IESVM CHRISTVM agnoscant, inuocent, & colant, iuxta doctrinam ab ipso traditam, & libris Prophetarum & Apostolorum comprehensam. Quare aliquos homines esse oportet literarum peritos, qui hunc librum doctrinæ cœlestis legere, & alijs prælegere, & explicare posśint.

Præcipuè igitur singuli ad discendum moueantur primùm seuerißimis Dei mandatis, qui præcipit doctrinam à se traditam audiri, disci, propagari.

Matth. 17. Aeternus pater de cœlo iubet audiri Filium. HVNC AVDITE. Necesse est igitur conciones seu doctrinam Christi, in Euangelistis, Prophetis & Apostolis descriptam legi, cognosci & alijs cognoscendam perspicuè & disertè proponi.

1. Timot. 4. Attende lectioni & doctrinæ.

Col. 3. Sermo Christi habitet in vobis opulenter cum omni sapientia.

Iohan. 14. Christus iubet seruari, hoc est, disci,

ac custodiri sermonem suum, & amplissimam promissionem addit, quòd custodes suæ doctrinæ domicilia & templa totius diuinitatis futuri sint.

2. Timot. 3. A puero sacras literas noueris, quæ te possunt erudire ad salutem. Omnis enim scriptura θεόπνευστος *vtilis est ad docendum, &c.*

Deinde Finis ad quem conditi sumus, in discendo & docendo nobis propositus sit, vt Deum rectè agnoscamus, & gloriam ipsius illustremus, 1. Corint. 10. Matth. 5. 1. Petr. 4.

Tertiò, vt prosimus Ecclesiæ Dei, adiuuantes conseruationem ministerij Euangelici, & gubernationem Ecclesiæ.

Quartò, vt Reipublicæ, quæ hospitium est Ecclesiæ Dei, in consilijs, iudicijs, legationibus, negocijsq; omnibus, ad communem tranquillitatem & salutem pertinentium, seruire possimus. Tit. 3. Discant & nostri, vt possint bonis operibus præesse ad necessarios vsus, ne sint infrugiferi.

Quintò etiam, vt honestum locum in communi vita, victum, & necessaria ad vitam honestè sustinendam consequamur: ἐφόδιον γὰρ ἡ παιδεία.

Sed principalis finis semper nobis in conspectu sit, videlicet, Vera Dei agnitio & celebratio, *iuxta doctrinam ab ipso Deo per Christum patefactam.* Ideoq; prima cura omnium nostrum esse debet, vt Catechesin doctrinæ Christi discamus. *Matth. 6. Primùm quærite regnum Dei.*

Quid

Quid vocatur Catechesis, & vnde est appellatio?

CATECHESIS in genere significat formam institutionis, in qua viua voce auditoribus initia alicuius doctrinæ in certos locos methodicè distributæ traduntur: & auditores ea, quæ ipsis tradita sunt, & quæ didicerunt, vicissim reddere & recitare coguntur.

A verbo κατηχεῖν, quod significat audire, sonum ab alio accipere, docendo dictata reposcere, behören.

Propter quas causas Catechesis, hoc est, talis forma institutionis, quæ fit per examen, in Ecclesia vsurpatur? seu,

Quæ sunt vtilitates Examinum in genere?

Examina augent in discentibus diligentiam, intentionem animi, & curam rectè & integrè discendi ea quæ proponuntur, cùm sciunt sibi ea, quæ audiuerunt, in examine reddenda esse. Deinde in Ecclesia necesse est singulos homines edere confessionem suæ fidei. Ideò in primitiua Ecclesia instituebantur

bantur Examina in quibus Catechumeni priusquã in Ecclesiam per baptismum reciperentur, testari seu confiteri solebant, se veram doctrinam de Christo amplecti. Inde examen in ceremonijs baptismi reliquum est. Pertinet etiam ad fidelitatem Pastorum & docentium in Ecclesia, scire quid intelligant, quomodo proficiant discentes.

Postea totum cursum studiorum examina intra certas metas continent, ne vagentur & aberrent. Adigunt ad discenda necessaria & vtilia, omissis non necessarijs & inutilibus. Plerunq; enim, vt Seneca ait, necessaria ignoramus, quia non necessaria didicimus.

Corrigunt errores prius animo conceptos.

Augent acumen ingeniorum, & formant iudicium. Alunt & augent facultatem loquendi, & facundiam extemporalem.

Adiuuant memoriam, vt ea, quæ percepit, promtè & celeriter, vbi res poscit, reddere poßit.

Tollunt superbiam & inanem persuasionem doctrinæ ac sapientiæ.

Adsuefaciunt ad communicationem sermonis & humanitatem in omni vita.

Formant pronunciationem seu actionem, in moderanda voce, vultu & vitandis gestibus ineptis. Deniq; Colloquia de doctrina salutari, dulcis consolatio sunt bonarum mentium, in doloribus & ærumnis, vt in veteri versu dicitur: ψυχῆς νοσούσης εἰσὶν ἰατροὶ λόγοι, *& sunt imago cœlestis*

illius

illius scholæ, in qua coràm audiemus Doctorem Filium DEI, & cum præceptoribus nostris, Prophetis & Apostolis colloquemur, & dictata reddentes plura ab eis discemus.

Has vtilitates recitaui, cum pleriq; adolescentes, vel ignauia, vel superbia fugiant examina, vt aliquas bonas mentes ad amorem κατηχήσεως, seu examinum, cùm in cæteris artibus, tùm verò præcipuè in doctrina Christiana exuscitem.

Nunc singulos doctrinæ Christianæ locos, eo ordine, quo propositi sunt, breuiter & perspicuè exponemus.

PRIMVS LOCVS.

DE VERA DEI AGNITIONE ET INVOCATIONE.

Quid est Deus?

SImplicissima & optima definitio DEI est SYMBOLVM APOSTOLORVM, vel Nicenum: quòd iuniores omnes accuratè ediscere, & nos grandiores etiam quotidiè &

diè & attentè recitare vtilissimũ est, vt nos ad cognitionem de Deo, & de tribus personis, de omnibus Dei operibus & beneficijs, de creatione, de redemptione generis humani per Filium, de persona, officio, passione, morte, resurrectione & regno Christi, de perpetua Ecclesiæ collectione, de extremo iudicio, de remissione peccatorum, & vita æterna, exuscitemus: & hac cogitatione per vocem CREDO in pijs fit applicatio beneficiorum Christi, et ipsa recitatio est confessio contra Diabolos, & in doloribus ac ærumnis consolatio dulcis & efficax.

Deinde & vsitata descriptio DEI teneatur:

DEVS est essentia spiritualis, vnica, æterna, verax, iusta, misericors, omnipotens, Pater æternus, & Filius imago Patris, & Spiritus sanctus à Patre & Filio procedens: patefacta in creatione mundi & verbo Ecclesiæ tradito, iuxta quod solum ab hominibus agnosci & coli vult, & in omni æternitate celebrari.

Quod sunt Personæ Diuinitatis?

Tres.

Pater, Filius, & Spiritus sanctus.

Quid est Persona?

Perso-

Persona est substantia indiuidua, intelligens, incommunicabilis, non sustentata in alio.

Cur tantùm tres Personæ Diuinitatis agnoscendæ & inuocandæ sunt, & non plures vel pauciores?

Quia DEVS sic se patefecit in Baptismo Christi, & in institutione baptismi nostri, & alijs testimonijs. Matth. 28. Baptizate eos in nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti. *Psal. 2. Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, Osculamini Filium. Psal. 33. Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis exercitus eorum.*

Fundamentum autem totius doctrinæ Theologicæ est hæc sententia. Quod non aliter sit de Dei essentia, & voluntate & cultibus ipsi præstandis sentiendum aut docendum, quàm sicut se Deus, in suo Verbo, per Prophetas & Apostolos tradito, patefecit.

Deut. 4. 12. Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo. Esaiæ. 8. Si non dixerint iuxta verbum hoc, non erit eis matutina lux.

Recita Descriptiones & discrimina trium personarum Diuinitatu?

PATER est prima persona diuinitatis, quæ ab æterno genuit Filium coæternum imaginem suam, & vnà cum Filio & Spiritu sancto omnes res ex nihilo condidit & conseruat.

FILIVS est secunda persona diuinitatis, genita ab æterno à Patre, & est substantialis & integra imago æterni Patris, qui Filius postea fuit intercessor inter Deum & primos homines lapsos, & constitutus mediator, assumsit ex virgine Maria humanã naturam, factus est victima pro nobis, & per eum, ac propter eum solum, datur ab æterno Patre remissio peccatorum, iusticia & vita æterna.

SPIRITVS SANCTVS est tertia Persona diuinitatis, quæ à Patre & Filio procedit: & mittitur, vt ministerium docendi in Ecclesia gubernet, & per Euangelium corda piorum regeneret & sanctificet.

Testimonia de Diuinitate Filij Dei Domini nostri Iesu Christi?

Rom. 9.

Rom. 9. Christus est super omnia, Deus benedictus in secula.

1. Iohan. 5. Sumus in vero (Deo) in filio eius Iesu Christo. Hic est verus Deus.

Ierem. 23. Inuocabunt eum, IEHOVA iusticia nostra.

Iohan. 20. Dominus meus, & Deus meus.

Iohan. 1. καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος, Et Deus erat illud verbum.

Quare Filius Dei nominatur λόγος seu Verbum.

Primùm respectu æterni Patris, quia est imago Patris, in qua integrè lucet sapientia & bonitas ac essentia Patris: sicut noster sermo cogitationum mentis effigies est.

Deinde respectu nostri. Quia primus dixit humano generi promissionem Euangelij, ex arcano sinu Patris prolatam, & subinde in colloquijs cum patribus eam repetiuit, (Ioh. 1. Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit.) Et per ministerium huius sui verbi seu Euangelij efficax est, & dicendo seu verbo suo, veram agnitionem æterni Patris, veram consolationem & vitam accendit. Matth. 11. Nemo nouit Patrem nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare, Ebr. 4. Viuum verbum Dei & efficax. Psal. 119. Verbum tuum viuificat me.

Testimo-

Testimonia de Diuinitate Spiritus sancti.

Matth. 28. Baptizate eos in nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti. Cùm enim Baptismus sit fœdus cum vero Deo: nosq; non solùm in nomen Patris & Filij, verùm etiam Spiritus sancti baptizemur: necesse est Spiritum sanctum etiam eadē diuinitate, potentia, maiestate & gloria cum æterno Patre & Filio, præditum, & vtriq; ὁμοούσιον esse. *Deinde multa sunt testimonia, in quibus palàm DEI & Domini seu IEHOVAE nomen Spiritui sancto tribuitur. 1. Corinth. 12. 6. 3. 2. Corinth. 3. Act. 5. 28. Esaiæ. 6. Postremò, propria solius diuinæ & omnipotentis naturæ opera & effectiones, vt creatio, regeneratio, viuificatio: item omniscientia, omnipræsentia, Spiritui sancto in sacris literis asscribuntur. Iob. 33. Spiritus Dei fecit me. Iob. 26. Spiritus Dei ornauit cœlos. Psal. 33. Verbo Domini (λόγῳ τοῦ πατρὸς) cœli firmati sunt, & spiritu oris eius (non creato, sed creante) omnes exercitus (omnes stellæ) eorum. Et Ecclesia canit: Veni creator Spiritus, Imple superna gratia, quæ tu creasti pectora.*

Quæ persona Diuinitatis assumsit humanam naturam?

Secun-

Secunda persona, videlicet Filius Dei, assumtam ex substantia virginis Mariæ humanam naturam personali vnione sibi copulauit, ita vt sit vna persona IESVS CHRISTVS Emanuel, noster mediator, redemtor, iustificator, & saluator.

Quid est incarnatio Filij Dei?

INCARNATIO FILII DEI, est vnio personalis duarum naturarum, diuinæ de substantia æterni Patris ab æterno genitæ, & humanæ ex substantia Mariæ virginis assumtæ, facta mirando consilio diuinitatis, in Christo mediatore, vt sit Emanuel, æterno Deo Patri & nobis hominibus ὁμοούσιος, reconcilians nobis Deum, & sufficienti λύτρῳ placata iustissima ira Dei aduersus peccatum, æternam iusticiam & vitam hominibus restituat.

Cur Filius Dei nominatur Emanuel?

EMANVEL, idest, NOBISCVM DEVS, vocatur propter quatuor causas. Primùm propter assumtionem no-

ſtræ naturæ, quia θεάνθρωπος ſeu DEVS homo & frater noſter, caro de carne noſtra, & os ex oſsibus noſtris factus eſt, *Iohan. 1. Verbum caro factum eſt, & habitat in nobis, ſeu aſſumta noſtra natura, non tantùm effectiuè & ſeparabiliter, ſed σωματικῶς, ita, vt ſit vna perſona.*

Deinde, Quia PRO NOBIS apud æternum Patrem intercedit & deprecatur, & precium redemtionis perſoluit. *Rom. 8. Eſt ad dextram Patris, & interpellat pro Nobis. Si Deus pro nobis quis contra nos. 1. Tim. 2. Vnus mediator Dei & hominum homo Ieſus Chriſtus, qui dedit ſeipſum precium redemtionis pro omnibus.*

Tertiò, Quia IN NOBIS fide eum agnoſcentibus habitat Filius DEI, & corda noſtra regit & ſanctificat, & ſibi conformia reddit *Galat. 2. Viuit in me Chriſtus, Epheſ. 3. Habitat Chriſtus per fidem in cordibus noſtris.*

Poſtremò, APVD NOS in omnibus periculis, doloribus & morte ipſa præſens adeſt Emanuel noſter, Deus & homo, protegens & ſaluans nos, *vt dixit: Ecce ego vobiſcum ſum vſq; ad finem ſeculi. Pſal. 46. Dominus Zebaoth nobiſcum, protector noſter Deus Iacob. Pſal. 91. Cum ipſo ſum in tribulatione.*

Quid

Quid est Mediator?

MEDIATOR, est Persona inter Deum irascentem Peccato, & genus humanum reum peccati & iræ Dei constituta, vt iusticia Dei satisfaciat, sustineat iram & pœnam pro peccato, deprecetur pro nobis, applicet sua merita, & inuocantium gemitus & preces exaudiat. *Ebr. 9. Iohan. 17. 1. Tim. 2.*

Cur necesse fuit in Christo Mediatore nostro duas naturas, diuinam & humanam inter se vnitas esse?

Caussæ ab Athanasio in libro de incarnatione Verbi, & ab alijs recitantur. Hominem esse oportuit, quia homo peccauerat, à quo pœnam persolui ordo iustitiæ postulabat. 1 *Deinde, vt pati & mori pro homine posset, & per mortem aboleret mortis imperium.* 2 *Ebr. 2. Item, vt* φιλανθρωπίαν *suam erga homines ostenderet assumtione humanæ naturæ, eámque horribiliter à Diabolo conuulsam & oppressam, assumtione sua & collocatione ad dextram Dei patris glorificaret.* 3

Deinde oportuit esse Deum, vt λύτρον *seu precium pro peccatis æquiualens, & meritum nouæ iustitiæ & vitæ sufficiens esset, ac molem iræ* DEI

et pœnarum sustinere, & mortem ac diabolum vincere, & iusticiam ac vitam æternam restituere posset. Item, vt ingredi in Sanctum sanctorum, introspicere pectus Patris, & corda inuocantium, & vbiq; Ecclesiæ adesse, inuocantes exaudire, defendere, seruare, & sapientiam Dei ac Spiritum sanctum petentibus donare posset. Cumq; in prima creatione Filius Dei λόγος vitam & lucem, quæ fuit imago Dei, hominibus tribuisset: congruebat sapientiæ diuinæ, vt per idem verbum, quo condita est, imago Dei deprauata in nobis restauretur.

Quid est Christus?

CHRISTVS est summus sacerdos & rex Ecclesiæ: DEO æterno Patri & nobis hominibus ὁμοούσιος: vnctus plenitudine Spiritus sancti, vt Euangelion ex sinu Patris prolatum hominibus patefaciat, per quod colligit sibi ex genere humano æternam Ecclesiam: & sua intercessione merito ac efficacia remissionem peccatorum & salutem æternam impetrat ac donat Ecclesiæ, quam in hac vita verbo & Spiritu sancto regit, aduersus Diabolos ac tyrannos defendit, & tandem ex morte resuscitatam ornabit vita & gloria æterna.

Quod est discrimen inter Christum & Iohannem Baptistam ac cæteros sanctos?

Quatuor sunt præcipua discrimina.

Primùm, Persona differunt. Habitat enim diuinitas in Christo, non, vt in cæteris sanctis hominibus, tantùm effectiuè & separabiliter; sed etiam tali ratione, vt Filius Dei, & natura humana assumpta, sint vna indissolubilis persona, sicut anima & corpus vnum hominem constituunt.

Secundò, Differunt officio. Solus enim Christus est redemtor & saluator, placans suo merito iram Dei, liberans nos à peccatis & morte, & restituens iusticiam & vitam æternam: Sancti non sunt redemtores, sed tantùm ministri verbi, per quod Christus sua beneficia hominibus annunciat & impertit.

Tertiò, Efficacia. Nam Christus propria potentia efficax est per verbum illuminans mentes vera agnitione DEI, dans Spiritum sanctum, & viuificans corda noua & æterna iusticia & vita. Iohannes Baptista & cæteri sancti non sunt

efficaces propria potentia, sed tantùm ministri verbi & sacramentorum.

Quartò, Christus est ἀναμάρτητος, expers omnis peccati & labis 2. Cor. 5. 1. Petr. 3. Sancti omnes sunt peccatores. 1. Iohan. 1. Psal. 32. & propter Christum à peccatis absoluuntur.

Quis est vsus & praxis doctrinæ de Deo, & de tribus personis Diuinitatis?

Vt Deus rectè à nobis agnoscatur & inuocetur, *seu, vt vera agnitio DEI, Timor iustissimæ iræ Dei aduersus nostra peccata, Fides seu Fiducia misericordiæ propter Filium mediatorem promissa, ardens inuocatio Dei, qua petimus nos à Filio Dei doceri & seruari, & à spiritu Dei paracleto regi & sanctificari, vera gratitudo pro summis beneficijs Dei, ac in primis promisso Filio redẽtore & effuso in pectora nostra spiritu sanctificante, & totius vitæ obedientia et conformitas cum sapientia & iusticia, & cæteris virtutibus Dei, in nobis excitetur, alatur & confirmetur: non vt ociosis speculationibus & argutijs ac quæstionibus prophanis, quæ ab hac vera & practica Dei noticia mentes abducunt, & tamen arcanam DEI naturam non explicant, inanem ingeniorum curiositatem alamus.*

Præcipuè

Præcipuè autem in quotidiana Dei inuocatione hæc doctrina de Deo, de tribus Personis diuinitatis, de beneficijs Filij Dei mediatoris, de spiritu Gratiæ & precum, de promißionibus, de fide proferenda, & Inuocatio nostra, ab Ethnica, Turcica, Pontificia & omnium alienarum gentium battologia segreganda est.

Quid est vera Inuocatio Dei?

VERA INVOCATIO DEI, est à vero Deo, Patre Domini nostri IESV CHRISTI, prælucente vera agnitione & fiducia Filij DEI mediatoris, petere bona spiritualia & corporalia, præsentia & æterna, iuxta ipsius promissiones, & certò statuere se Deo curæ esse, & à DEO tanquam Patre φιλοςόργῳ preces nostras, propter Filium Dei intercessorem exaudiri, & nobis salutaria tribui: ideoq; vicissim Deum omnibus grati animi & obedientiæ officijs celebrare.

Quæ sunt partes veræ Inuocationis, quas in omnibus nostris ad Deum precibus piè & attentè considerare, simul complecti, ac coniungere singuli debemus?

I. Compellatio veri Dei, Patris Domini nostri Iesu Christi, illustribus testimonijs in Ecclesia patefacti, *vt scriptum est: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Non habebis Deos alienos coram me.*

II. Cogitatio mandatorum Dei, *quæ inuocationem præcipiunt, & bona à Deo promissa peti & expectari seuerißimè iubent. Matth. 7. Lucæ 18.*

III. Pœnitentia seu Confeßsio propriæ indignitatis & peccatorum, *cuius in precatione Dauidis Psal. 51. & Danielis cap. 9. exemplum insigne habemus.*

IIII. Consideratio promißsionis de remißsione peccatorum, & de exauditione precum propter Christum Mediatorem, *Psal. 50. Matth. 7. 11. 18.*

V. Fides certò statuens sibi remitti peccata, & se Deo placere, & suas preces exaudiri propter Christum, *Iacob. 1. Oret in fide nihil hæsitans. Ephes. 3. Per fidem audemus accedere.*

VI. Commemoratio rerum petendarum, *quæ ab ipso Christo in septem petitiones inclusæ sunt. His gratiarum actionem pro beneficijs Dei spiritualibus & corporalibus annectamus.*

Quod est discrimen veræ & falsæ inuocationis?

Discri-

Discrimina *illustria sumi possunt à causis efficientibus, impulsiuis, obiectis, & adiacentibus, sed vsitatè recensentur hæc duo:*

Prius sumtum ab Essentia Dei.
Posterius à voluntate Dei.

Ethnici, Turci, Iudæi, etiamsi iactitent, se inuocare Deum conditorem cœli ac terræ: tamen à vero Deo aberrant, & sibi ipsis idolum sculpunt, quod compellant. Vnicus enim est, & solus conditor cœli ac terræ, qui est æternus Pater, Filius, & Spiritus sanctus, quem ipsi vel prorsus ignorant, vel contumelia afficiunt. Iohan. 5. Qui non honorat Filium, non honorat Patrem. Deinde de voluntate Dei sunt incerti, quia promissionem Euangelij & Filium Mediatorem adspernantur.

Vera autem inuocatio ad hunc vnum DEVM, Patrem Domini nostri IESV Christi, patefactum misso Filio & dato Euangelio, directa est: Deinde certò statuit, se recipi & exaudiri propter Christum mediatorem.

Hactenus de Deo creatore rectè agnoscendo & inuocando: Nunc de Creaturis ad imaginem Dei, vt Deum agnoscant & celebrent, conditis dicemus.

SECVNDVS LOCVS.

DE CREATIONE MVNDI ANGELORVM ET Hominum.

Quid est Creatio?

CRreatio est actio externa DEI, qua Deus volens, immensa bonitate, omnes res alias, visibiles & inuisibiles, ex nihilo fabricauit, consilio suo, vt æternam Ecclesiam sibi cōderet, à qua agnoscatur & celebretur, & in qua in æternū habitet.

Creatio cuius personæ opus est?

Omnium trium personarum diuinitatis, æterni Patris, Filij, & Spiritus sancti, quæ simul omnes res alias condiderunt & conseruant, *vt dicitur Psal. 33. Verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis exercitus eorum.* De Filio *dicitur Iohan. 1. Omnia per ipsum facta sunt.*

Condita sunt autem omnia mundi corpora, nō eodem temporis momento, sed ordine, distinctis sex diebus. Genes. 1. 2.

Prima die Materia cœli & terra rudis ac indigesta, & Lux.

I I. Cœlum

II. *Cœlum seu Orbes cœlestes.*
III. *Terra & Plantæ.*
IIII. *Sol, Luna & cæteræ stellæ.*
V. *Aues & Pisces.*
VI. *Terrestria animantia, & Homo.*

Cur conditus est à Deo mundus?

Vniuersum hoc theatrum naturæ rerum ideò conditum est à Deo, & miranda arte & sapientia distributum, & ornatum, vt Deum opificem nobis monstret, & vtilitatibus hominum seruiat, & schola sit sapientiæ, bonitatis, præsentiæ, & omnipotentiæ Dei, qui ab Angelis & hominibus à se conditis, vult agnosci & celebrari: ijsq; vicissim seipsum & omnia sua bona impertire. *Rom. 1. Ephes. 3.*

Quid est Prouidentia Dei?

Prouidentia est actio mentis diuinæ, quæ omnia cernit, & cunctos euentus futuros prospicit, deinde gubernatio Dei, qua naturam vniuersam, à se conditam, sustentat & conseruat, & præcipuè curat genus humanum, custodit ciuilem societatem, punit atrocia scelera atrocibus pœnis, & tandem iustos præmijs ornat.

Pars Prouidentiæ, determinatio diuina, qua DEVS, omnia cernens, cunctos etiam futuros euentus, siue bonos siue malos, prospicit: & bo-

& bonos adiuuat, malos autem permittit, & terminos ac metas constituit, quousq; sit permissurus.

Hactenus de Deo creatore: nunc de Creaturis, ex quibus aeternam Ecclesiam Deus elegit, dicemus.

Sunt autem creaturae Rationales, aliae Incorporeae & inuisibiles, vt Angeli & Animae hominum: aliae Corporales & visibiles, vt Homines.

Quid sunt Angeli?

ANGELI BONI sunt essentiae spirituales, creatae à Deo ad imaginem ipsius, hoc est, intelligentes, veraces, iustae & liberae, quae non sunt pars alterius speciei, vt animae hominum: & sunt immortales, ordinati à Deo, vt ipsum celebrent, & sint ministri Ecclesiae, & custodes piorum, *Ebr. 1. Psal. 34. 103. 104.*

Quid sunt Diaboli?

DIABOLI *sunt essentiae spirituales, initiò creatae ad imaginem Dei, hoc est, intelligentes, veraces, iustae & liberae, sed libera voluntate à Deo deficientes, facti sunt hostes Dei, & genus humanum à Deo auulsum in peccatum & mortem praecipitarunt, & ad omnis generis peccata & calamitates quotidie impellunt. Quam Tyrannidem miranndo consilio permittit Deus, & reprimit, vsq; ad extremum iudicium, in quo Diabolos omnes,*

vnà

vnà cum hominibus impijs, in æternos cruciatus abijciet, Iob. 8. 1. Petr. 5. 1. Petr. 2.

Quid est Homo?

Homo est substantia creata à DEO habens corpus & animam rationalem, conditam ad imaginem Dei, vt Deum agnoscat & celebret.

Quid est Anima?

Anima Hominis est essentia spiritualis, creata à DEO ad imaginem ipsius, hoc est, intelligēs, libera, & iusta, quæ est pars hominis: nec extinguitur, cùm à corpore discessit, sed est immortalis.

Quæ sunt præcipuæ vires Animæ in homine?

Quinq; : Rationalis, sentiens, appetens, locomotiua, & vegetans.

Quæ sunt partes animæ Rationalis?

Duæ: MENS & VOLVNTAS, cum qua in serijs moribus copulati sunt AFFECTVS cordis.

Quid est Mens?

MENS seu INTELLECTVS est potentia Animæ rationalis cognoscens, illustrata in cre-

in creatione radijs sapientiæ & lucis diuinæ, qua Deum & Legem Dei discernentem recta & praua, quæ vitæ rectrix est, & numeros ordinem, κοινὰς ἐννοίας, quæ sunt principia & normæ artium, & omnes res cæteras singulares & vniuersales vtcunque cognoscit, meminit, & alia ex alijs ratiocinatur, & rectè ac secum cohærentia cernit & iudicat. Quæ potentia eam ob caussam præcipuè condita est in homine, vt Deum conditorem, & testimonia de Dei sapientia & bonitate toti rerum vniuersitati impressa, cognoscat, & alijs cognoscenda demonstret.

Quid est voluntas?

VOLVNTAS, est potentia Animæ rationalis motiua, vt in scholis loquuntur, seu appetens suprema, qua Homo obiectum ab intellectu monstratum, velle & expetere, vel auersari & rejicere potest vel suspendere actionem, & imperare externis membris, vt aliquid faciant aut omittant. Ideò autem sic condita est voluntas, vt ante omnia Deum & virtutem expetat & amet, & in Deo lætetur & acquiescat.

Quid est Affectus?

AFFECTVS, sunt variæ species & formæ actionum voluntatis cum aliquo dolore aut lætitia coniunctæ: seu Affectus sunt motus volunta-

luntatis aut cordis, sequentes cognitionem, quibus obiectum, à mente vel sensu monstratum, prosequimur aut fugimus.

Quid est Imago Dei?

Imago Dei, ad quam homo conditus est, erat similitudo & conformitas præcipuarum virium hominis, cum Archetypo, seu ipso Deo, videlicet: Mens, illustrata luce veræ noticiæ Dei, & sapientia, discernente recta & praua: & voluntas, liberrimo arbitrio expetens & probans recta & iusta, ardens dilectione DEI, & vera obedientia erga DEUM: & cor rectum, omnes affectus & motus habens, conformes Legi Dei, Genes. 1.

Coloss. 3. Induite nouum hominem, qui renouatur in agnitionem Dei, secundùm imaginem eius qui creauit eum.

Ephes. 4. Induite nouum hominem, qui secundùm Deum creatus est in iusticia, & sanctitate vera.

2. Corinth. 3. Nos verò omnes, releuata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur, à claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu.

Quid est liberum arbitrium?

LIBE-

LIBERVM ARBITRIVM in genere significat, & iudicium Mentis discernens bona & mala, & facultatem Voluntatis, qua sponte eligit aut facit, vel auersatur & negligit ea, quæ mens decernit.

Quid fuit liberum Arbitrium in Homine ante lapsum?

Fuit facultas mentis & voluntatis, qua poterant Angeli & Homines essentiam & voluntatem Dei conditoris sine vlla caligine & errore agnoscere, & iustitiam ac sanctitatem veram, in qua conditi erant, iuuante Deo, retinere, & sponte ac seriò Deo perfectè obedire, vel ab eo deficere & peccare.

Quid est liberum Arbitrium in Homine post lapsum?

Est facultas, qua mens hominis bona & mala ciuilia, seu honesta & turpia, item artes mechanicas & liberales, & alias res humanæ rationis iudicio subiectas aliquo modo intelligere, discere ac iudicare, & voluntas sine coactione easdem eligere aut expetere, & vel auersari & fugere potest, vel suspendere electionem, & imperare externis membris, vt suscipiant actiones cum iudicio mentis congruentes vel non congruentes.

Sed in rebus spiritualibus, vt in primo motu conuersionis ad Deum, seu regenerationis sui ipsius, & prima scintilla fidei in Christum accendenda,

Liberum

Liberum vel potiùs seruum & peccato captiuum et mortuum hominis arbitrium est naturalis impotentia, seu defectus & prauitas mentis & voluntatis, secuta lapsum Adæ, & nobiscum nascens: qua mens cæca et tenebris peccati oppressa, nec essentiam nec voluntatem Dei rectè agnoscere, nec viam æternæ salutis sua acie cernere potest: & voluntas ac appetitiones cordis auersæ & aduersæ Deo, nec seipsas proprijs viribus ad Deum conuertere, & in Christum credere, & cultus Deo placentes præstare nec quicquam aliud quàm peccare possunt, nisi per gratiam Christi fuerint liberatæ.

Liberum arbitrium in renatis ex aqua & spiritu est facultas, qua mens & voluntas per filium Dei à seruitute peccati liberata, & adiuta per Spiritum sanctum, suo etiam conatu & diligentia non modò externos mores honestè regere, & externa scelera vitare, verùm etiam interiores & spirituales animi motus, vt veram agnitionem Dei, inuocationem, patientiam, &c. exuscitare, fouere & augere, & vitiosis inclinationibus resistere vel indulgere, & rursum à DEO desicere potest.

Cùm autem dixerimus, Hominem ad imaginem Dei creatum esse, & quæ fuerit conformitas naturæ hominis cum LEGE Dei: nunc doctrina de LEGE Dei, ad quam congruere nostras mentes, voluntates & corda oportebat, statim addenda est.

TERTIVS LOCVS.

DE LEGE DEI.

Quid est Lex Dei?

LEX DEI sunt decem Præcepta: vel Lex DEI est doctrina, quam DEVS in creatione hominibus indidit, & postea in monte Sina & alibi repetiuit, præcipiens quales nos esse, quæ facere, quæ omittere oporteat, Et promittens bona præstantibus perfectam obedientiam, ostendens ac arguens peccatum in hac corrupta natura, & denuncians iram DEI & æternas pœnas omnibus peccato pollutis.

Alia & illustrior Legis Definitio proximis annis à Philippo tradita est?

LEX DEI, est æterna & immota sapientia & regula iusticiæ in Deo, discernens recta & non recta, & horribiliter irascens omni dissimilitudini & cōtumaciæ, quæ repugnat huic normæ in ipso,

&c est

& est patefacta hominib. in creatione, & postea sæpe repetita est & declarata voce diuina. vt sciamus, quòd sit Deus, & qualis sit, obligans omnes creaturas rationales, & postulans, vt omnes sint conformes Deo, & damnans ac destruens omnes non conformes Deo, nisi fiat remissio & reconciliatio propter Filiũ mediatorem.

Quod sunt partes Legis Mosaicæ?

Tres.

1. Decalogus seu Lex moralis & æterna, *quæ iam definita est.*
2. Leges Ceremoniales seu Ecclesiasticæ.
3. Forenses seu Iudiciales.

Recita caussas Legis moralis?

Caussa efficiens, est immediatè ipse DEVS, *qui hanc normam suæ sapientiæ & iusticiæ omnium hominum mentibus in prima creatione inseuit, & postea voce sua, in monte Sina & alibi, illustrauit.*

Materia in qua, est primùm ipsa mens Dei, in qua perfectè lucet hæc sapientia & iusticia, in lege expressa. cuius radij in mentes humanas postea deriuati sunt.

Materia circa quam, est conformitas ac obedientia, & dissimilitudo seu contumacia totius

naturæ rationalis, quæ cum hac norma mentis diuinæ, in lege expressa, perfecte congruere debebat.

Forma est æterna & immota norma iustitiæ in Deo, obligans omnes vel ad obedientiam perfectam, vel ad æternas pœnas.

Fines sunt?

Primus, vt doceat, quòd sit Deus & qualis sit.

Secundus, vt hominum natura cum hac norma congruat.

Tertius, vt monstret, accuset, & æternis pœnis damnet omne peccatum, non congruens cum hac norma.

Quid est Lex naturæ?

Lex naturæ proprijssimè est notitia Legis diuinæ, insita à Deo naturæ humanæ, *vt Rom. 2. dicitur: Opus Legis scriptum in cordibus eorum.* Et *summa legis naturæ in* Decalo*go comprehensa est.*

Quid est Lex positiua seu humana?

Leges Politicæ seu positiuæ sunt sententiæ seu leges probabili ratione à magistratibus latæ, vt sint adminicula legis naturæ, videlicet determinantes circum-

stantias

ſtantias aliquas, in executione iuris naturæ, vel ſancientes aliquid de occaſione ſeruandi ius naturæ, non pugnantes cum iure naturali aut diuino.

Quod eſt diſcrimen inter Legem Dei, & Leges humanas?

Diſcrimina maximè illuſtria ſunt hæc quatuor.

1 Leges humanæ ſeu poſitiuæ Magiſtratuum ſunt mutabiles, & obligant tantùm certos homines, quibus latæ ſunt, vel ad externam obedientiam præſtandam, vel ad pœnas corporales ſuſtinendas.

2 Sed Lex Dei eſt æterna & immutabilis, & obligat omnes Angelos & homines, vel ad perfectam obedientiam, vel ad pœnas æternas ſuſtinendas.

Cur Ceremoniæ & Leges Forenſes Moſi nunc abrogatæ ſunt, cùm tamen Decalegus perpetuò retineatur?

Tota Politia Moyſi propter hanc cauſſam præcipuè à Deo conſtituta eſt, vt eſſet certa ſedes Eccleſiæ, & certus locus, in quo Chriſtus, iuxta promiſſiones, exhiberetur: ſeu, vt eſſet hoſpitium na-

ſcentis, & Schola docentis Chriſti. Et Ceremonia ac Forenſes Leges ideo latæ ſunt, vt continerent hanc politiam, & à cæteris gentibus diſtinguerent, vſq; ad tempus exhibiti Chriſti. Poſtquam autem exhibitus eſt Chriſtus, tota politia concidit, & vnà cum politia etiam Ceremoniales & Leges forenſes, quæ tantùm propter ipſam politiam inſtituta fuerunt, extinctæ ſunt.

Sed Lex moralis, ſeu Decalogus eſt æterna & immutabilis norma ſapientiæ & iuſticiæ in ipſo Deo, obligans omnes creaturas rationales vel ad obedientiam vel ad pœnam. Ideo nequaquam abolita eſt, exhibito Chriſto, vt Matth. 5. dicitur: Non veni ſoluere Legem, ſed implere.

Implet autem Chriſtus Legem quatuor modis:

Primùm. Habendo & præſtando perfectam obedientiam pro ſua perſona.

Secundò. Perſoluendo pœnam ſufficientem, quam nos noſtra inobedientia meriti eramus.

Tertiò. Docendo & illuſtrando verum & genuinum intellectum Legis.

Quartò. Efficiendo in credentibus nouam obedientiam cum lege congruentem, per Spiritum ſanctum.

Cùm Lex Moralis sit æterna & immutabilis, quomodo intelligenda sunt hæc dicta 1. Timoth. 1. Iusto non est Lex posita. Roman. 6. Non estis sub Lege?

Iustificati fide in Filium Dei liberati sunt etiam a Lege morali, quod ad maledictionem, seu obligationem ad æternas pœnas attinet, sed tamen manet æterna & immota obligatio ad obedientiam. *Ideo enim Christus maledictionem Legis in se deriuauit, vt in natura humana obedientiam seu conformitatem cum Lege Dei instauraret.*

Hinc intelligi potest.

Quid sit Libertas Christiana?

Non licentia faciendi quidquid libet, sed liberatio à peccato, ab ira Dei, à maledictione Legis, à ceremonijs & legibus forensibus Mosi, & à ritibus adiaphoris extra casum scandali. *Iohan. 8. Rom. 6. 7. 8. Ephes. 2. Galat. 3. 4. 5.*

Quæ ſunt præcipuæ ſententiæ Legis Moralis? Seu, Quot ſunt præcepta Decalogi?

Decem. Recita.

PRIMVM PRÆCEPTVM.

Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti. Non habebis Deos alienos coram me, &c.

Quæ ſunt virtutes ſeu bona opera primi præcepti, iuxta declarationem Euangelÿ?

Omnes virtutes oriuntur à cognitione ſeu à Noticia gubernatrice, quia ignoti nulla cupido. Ideo & primum præceptum ab agnitione Dei orditur: Ego ſum Dominus Deus tuus: & diſcernit Deum certo verbo & teſtimonÿs miraculorum in eductione ex Aegypto pateſactum, ab omnibus cre-

ateris & commenticijs numinibus. Est autem hæc cognitio vel essentiæ diuinæ, vel voluntatis patefactæ aut in lege, & comminationibus, aut in promißionibus & Euangelio. Cùm Legem Dei & comminationes cognoscimus & vera assensione amplectimur, oritur Timor Dei. Cùm autem promißionem gratiæ & amoris Dei in Christo amplectimur, oritur Fides seu Fiducia acquiescens in Deo, & viuificans corda, & pariens dilectionem erga Deum, & erga proximum. Ex hoc fonte sumta est distributio Virtutum primi præcepti, quas his duobus vocabulis, Timoris Dei & Fidei, Philippus in Locis complectitur.

Vsitatum est autem, vna voce Pietatis seu Religionis, omnes totius primæ tabulæ virtutes comprehendi, sed vt illustrior sit explicatio, prodest eas euolui, & in plures species distribui, quarum singulæ appellationes, sæpe plures alias per Synecdochen includunt. Recitabimus igitur sine superstitione octo genera operũ primi Præcepti. Ac studiosos hortor, vt sequentes Virtutum definitiones ediscant, & velut normas & Regulas omnium consiliorum & actionum in omni vita sibi proponant.

Omnium primæ Tabulæ virtutum commune genus est.

PIETAS ERGA DEVM SEV.

RELIGIO.

Huius partes sunt Virtutes, quæ ad primam Decalogi Legem pertinent :

I. Vera noticia Dei, seu Sapientia.
II. Timor Dei, seu Pœnitentia.
III. Fides.
IIII. Dilectio.
V. Spes.
VI. Humilitas.
VII. Patientia.
VIII. Perseuerantia.

PIETAS ERGA DEVM seu RELIGIO, est verum Deum, patefactum in creatione mundi & Verbo Ecclesiæ tradito, rectè agnoscere fiducia Christi mediatoris inuocare & colere, sicut in verbo suo præcepit.

SAPIENTIA in sacris literis idem est quod Pietas, videlicet, vera agnitio DEI & redemtoris nostri Iesu Christi, coniuncta cum vero timore Dei, & fide, ac totius vitæ obedientia, iuxta verbum diuinitùs traditum.

VERA noticia DEI, est essentiam & voluntatem Dei in Lege & Euangelio patefactam, rectè agnoscere, iuxta verbum

bum per Prophetas & Apoſtolos traditum, & certis ac illuſtribus teſtimonijs miraculorum, vt eductione populi Iſraël ex Ægypto, reſuſcitatione mortuorum & ſimilibus, confirmatum.

Peccata pugnantia ſunt, Caligo & cæcitas mentis ignorantis Deum, omnes falſæ opiniones de eſſentia & voluntate Dei, non congruentes cum verbo per Prophetas & Apoſtolos tradito, videlicet Ethnicæ, Philoſophicæ, Turcicæ, Iudaicæ, omnes hæreſes, corruptelæ Euangelij, blaſphemiæ.

TIMOR DEI, eſt expaueſcere conſpectu iræ Dei aduerſus peccatum, & filiali metu iræ ac iudicij diuini vitare delicta, & ſe reuerenter Deo ſubijcere, & voluntate ac verbo Dei omnia conſilia & omnes actiones, in vita ſpirituali & ciuili gubernare.

Extrema ſunt, Securitas, ſeu eſſe ſine cura, ſine timore iræ Dei & iudicij diuini: & Superſtitio trepidans timore, vbi non eſt timor. Hoc autem nobis præſtet Dei timor, vt omnes alios timores contemnamus.

FIDES, eſt noticia omnium articulorum doctrinæ Chriſtianæ, & aſſenſus, quo amplectimur totam doctrinam à Deo nobis traditam, & in hac Promiſſionem gratuitæ reconciliationis, certò donandæ propter Chriſtum Mediato-

rem

rem, & est fiducia acquiescens in misericordia Dei propter Filium mediatorem promissa, & certò statuens, sibijpsi peccata remitti propter Christum.

Peccata pugnantia cum fide sunt:

Dubitationes Epicureæ & Academicæ, de Deo, de Prouidentia, de certitudine doctrinæ per Christum & Apostolos traditæ.

Diffidentia erga Deum.

Dubitare de remißione peccatorum, an simus in Gratia Dei, an Deo placeamus.

Desperatio.

Confidentia seu præsumtio.

Fiducia humanorum auxiliorum.

Superstitio.

Magia.

DILECTIO DEI est ardens incendium amoris, quo mens & voluntas, agnita Dilectione DEI erga nos, quam misso Filio declarauit, vicissim DEVM complectitur, & sese DEO subijcit & seruat omnia mandata Dei cum quadam lætitia acquiescente in Deo: vel Dilectio est obedientia vniuersalis iuxta totam Legem, vt dicitur, Rom. 13. Dilectio est impletio legis.

Peccata pugnantia sunt omnes prauæ inclinationes, Odium Dei, Stupor nostrorum pectorum non sentiens

sentiens ardentes flammas dilectionis, deniq; omnium cæterarum virtutum extrema.

SPES est certa expectatio vitæ æternæ, iuxta promissionem in Euangelio expressam, & expectatio mitigationis calamitatum in hac vita, iuxta consilium DEI.

Extrema Fidei & Spei sunt, Desperatio & Præsumtio.

HVMILITAS seu ταπεινοφροσύνη est virtus, qua in timore DEI agnoscentes propriam infirmitatem, non superbimus, sed vero corde nos Deo, & in officijs nostræ vocationis, fiducia auxilij diuini obeundis, & præstanda in pœnis & ærumnis obedientia, & exhibendo alijs honore debito, subijcimus.

Extrema sunt, ficta seu simulata humilitas, & SVPERBIA, quæ est sine timore Dei, & sine agnitione infirmitatis propriæ sese admirari & magnifacere, propter certas dotes, & propria sapientia aut viribus confidere, & alios despicere, & cùm accidunt aduersa, irasci Deo tanquam iniustè punienti.

PATIENTIA est virtus, quæ in doloribus & ærumnis, moderatè & placidè ferendis, reuerenter se voluntati Dei subijcit, nec inconcessa auxilia quærit, sed fi-

ſed fide ſtatuit Deum ſibi propitium eſſe, & petit & expectat auxilium Dei, mitigationem ac liberationem, & hac fide & ſpe dolorem lenit, & pacem ac læticiam in corde ſentit.

Partes Chriſtianæ patientiæ ſunt Timor Dei ac Fides.

Extrema ſunt Impatientia, & Hypocritica tolerantia cruciatuum ſponte accerſitorum, vt in flagelliferis, eremitis, & ſimilibus.

PERSEVERANTIA, eſt in vera agnitione Dei, & fide in Chriſtum, conſtanter & perpetuò vſque ad extremum vitæ ſpiritum permanere.

Extrema ſunt, Defectio à Fide & Pertinacia in opinionibus impijs, aut ſuperſtitioſis cultibus.

Extrema communia, ſeu peccata pugnantia cum tota prima tabula ſunt:

Epicureus, ac Cyclopicus contemtus DEI.

IDOLATRIA, eſt vel fingere, aliquid eſſe Deum, quod non eſt Deus: vel honorē Deo propriè debitum tribuere cuicunque rei, quæ non eſt Deus: vel alligare DEVM ad aliquam rem, ad quam ſe ipſe non alligauit ſuo verbo: vel eligere & inſtituere cultus ſine verbo ac mandato Dei,

to Dei, & confidere his cultibus, quòd propter eos Deus nobis propitius sit & benefaciat.

Sunt enim Dij alieni *non tantùm ficta Ethnicorum numina, & Statuæ ac Imagines, quæ coluntur, sed in genere omnia, quæ plus amamus & timemus, quàm Deum, & quibus confidimus magis quàm Deo.*

HYPOCRISIS, est simulatio pietatis, iusticiæ & sanctitatis externæ, cùm tamen cor sit sine vero Timore Dei, & sine Fide, plenum dubitationibus, prauis inclinationibus & affectibus, superbia, admiratione sui, &c.

SCANDALVM, est aut falsa doctrina, aut malum exemplum, quod gloriæ DEI & saluti aliorum hominum nocet, vel quia seducit alios, vel quia deterret alios ab Euangelio, vel quia præbet occasionem maledicendi Euangelio & Ecclesiæ, vel quia alios ad imitationem inuitat, vel quia serit alia plura peccata.

SECVN-

SECVNDVM PRÆCEPTVM.

Non assumes nomen Domini Dei tui in uanum.

Virtutes seu bona opera secundi præcepti, in quibus consistit verus vsus nominis diuini.

I. Vera inuocatio Dei.
II. Gratiarum actio.
III. Vera prædicatio.
IIII. Confessio.
V. Iusiurandum.

Vera Inuocatio DEI, est vero motu cordis & linguæ, à vero DEO, patefacto in promissione Euangelij & misso filio petere & expectare bona æterna & corporalia, & repugnantem dubitationi certò statuere, à Deo recipi, & exaudiri preces, iuxta ipsius promissiones, propter Christum mediatorem.

Extrema sunt, Omißio inuocationis frigida & oscitans precatio, qualis est omnium nostrûm, & omnes

mnes falsa inuocationes, Ethnica, Turcica, Papistica inuocatio hominum mortuorum.

GRATIARVM ACTIO, est mente & voce confiteri, quod bona spiritualia & corporalia non casu offerantur, nec nostra sapientia & viribus tantùm parentur & conseruentur, sed quòd Deus verè omnium beneficiorum autor sit, & propterea vero corde se ei subijcere & obedire, vt Deus gloria ornetur, & plures ad veram agnitionem & inuocationem Dei inuitentur.

Extrema sunt, Ingratitudo, & simulata gratitudo, qualis est Pharisæi, Lucæ. 18.

VERA PRAEDICATIO, est doctrinam à Deo traditam, Legem & Euangelion, vel in publico ministerio, vel alibi pro suo loco & vocatione, rectè & purè docere, & corruptelas dextrè refutare.

Extrema sunt. Corruptelæ doctrinæ, Hæreses, Negligentia in docendo, Curiositas in tractandis materijs non necessarijs.

CONFESSIO, est veram de Deo doctrinam constanter profiteri, nec abijcere eam propter terrores, odia, supplicia, vel gratiam potentum, propter hunc

finem, vt Deo obtemperetur, vt nè vera Dei noticia in terris extinguatur.

Extrema sunt: Defectio ab Euangelio, & Pertinacia in causis impijs.

IVSIVRANDVM, est inuocatio veri Dei, qua petitur, vt sit testis, nos vera dicere, & seuerè puniat mentientes.

Extrema sunt: Periuria, & superstitiosa obseruatio impiorum iuramentorum.

TERTIVM PRÆCEPTVM.

Memento vt diem Sabbati sanctifices.

Quid significat vox Sabbati?

SABBATVM, Ebræis quietem, seu scholam & ocium ad studia doctrinæ de Deo, significat: *Cui septima hebdomadæ dies à Deo ipso in prima creatione destinata fuit.*

Cur lata est lex de Sabbato?

Septem causæ sunt.

I. *Voluit Deus diem Sabbati singulis hebdomadis esse monimentum doctrinæ de creatione mundi, sex distinctis diebus perfecta, à qua die septima Deus*

requieuit

requieuit (Gen. 1. 2.) nec post hominem formatum, alios mundos, nec alias nouas animantium species condidit, vt Hominem esse extremum & summum opus, in quo Sabbatum agere & acquiescere velit, Deus demonstraret.

Cùm autem in Scholis perpetuum Sabbatum seu ocium studijs doctrinæ de Deo destinatum agamus, præcipua etiam nostra cura sit, vt Sabbatum creationis ritè celebremus, & Testimonia de Deo, in toto hoc pulcherrimæ naturæ rerum à Deo creatæ theatro nobis proposita, attentè contemplemur, & doctrinam de cœlo, stellis, elementis, plantis, animantibus, & humanæ animæ & corporis natura, studiosè discamus.

II. Vt commonefaceret de Sabbato animæ spirituali, quo à nostris operibus & cupiditatibus vitiosis quiescentes, à Deo nos doceri & agi petamus & patiamur: ac præcipuè in schola sanctæ crucis, quietis & placidis animis Deum pro sua voluntate paterna nobiscum agere sinamus.

III. Vt perpetuam & æternam quietem, omni labore & dolore vacantem, & perpetuò celebrantem Deum significaret. Ebr. 3 4. Esa. 66.

IIII. Vt nos de sabbato redemtionis seu quiete Filij Dei in paßione & sepulchro, qua nobis honorem æterni sabbati in lapsu amissum restituit, admoneret.

V. Oeconomica est, vt homines & iumenta,

præteritorum dierum laboribus defatigata & fessa septimi diei ocio & quiete recrearentur, Deut. 5.

VI. Vt monumentum esset liberationis ex seruitute Aegyptiaca, & Gratiarũ actionis Deo præstandæ pro quiete à laboribus, quos in Aegypto grauiss. ac pene intolerabiles sustinuerant. Deut. 5.

VII. Et præcipuè in tertio præcepto consideranda, vt singulis hebdomadis septima die homines ad discendam & propagandam Legem Dei, & promissiones de Christo, & ad communem precationem & gratiarum actionem & laudes diuinas conuenirent. Id enim est sabbatum sanctificare.

Quæ sunt igitur bona opera in tertio præcepto mandata?

Sex sunt:

I SANCTIFICATIO Sabbati seu conseruatio ministerij.

II. Fidelitas ministrorum seu docentium.

III. Diligentia auditorum.

IIII. Reuerentia & obedientia erga ministros.

V. Liberalitas, benignè contribuens ad conseruationem ministerij.

VI. Pia obseruatio Ceremoniarum in Ecclesia.

SANCTIFICATIO SABBATI est præ-

prælucente vero timore Dei & fide, diem ministerio docendi & administrandi ceremonias, diuinitùs institutas, destinatũ, non prophanis, sed sanctis operibus, hoc est, docendæ & discendæ veræ de Deo doctrinæ, publicæ precationi, gratiarũ actioni, vsui Sacramentorũ, &c. tribuere: nec in otium prorsus iners & ignauum, nec in corporis labores, alióſue prophanos vsus à ministerio abducentes collocare.

Huic cognata virtus est CONSERVATIO MINISTERII EVANGELICI, quod est officium prædicandi in publico Ecclesiæ cœtu verbum Dei, & legitimè administrandi Sacramenta, institutum à Deo, vt per illud veram sui agnitionem, fidem, innocationem, & cæteras virtutes ipsi placentes accendat, & omnia beneficia Christi ac æternam salutem Euangelio credentibus impertiat.

Peccatum pugnans cum tertio præcepto est Prophanatio Sabbati vel per neglectionem & contemtionem ministerij, vel superstitiosam obseruationem sabbati Iudaicam, aut transformationem ministerij in regnum mundanum.

FIDELITAS Docentium est virtus, qua ministri Ecclesiæ, conscij sibi mediocris peritiæ doctrinæ Christianæ, officia fidi dispensatoris mysteriorũ Dei omnia,

in docendo, arguendo, consolando, exhortando, & veræ pietatis ac omnium virtutum exemplo auditoribus prælucendo, diligenter & sedulò obeunt & constanter tuentur.

Extrema sunt: Infidelitas vel ignara doctrina, vel negligentia in officio, & nimia anxietate seu cogitatione propriæ imbecillitatis deserere ministerium.

DILIGENTIA Auditorum in audienda & discenda doctrina, & crebro vsu sacramentorum, & obedientia debita ministerio præstanda.

Extrema communia sunt, Negligentia & Contemtus doctrinæ & sacramentorum, & superstitio.

REVERENTIA & OBEDIENTIA erga Ministros, in his quæ ad ministerium pertinent, videlicet cùm proponunt præcepta Dei, annunciant consolationem Euangelij, adhortantur ad bona opera, excommunicant contumaces. *Luc. 10. Qui vos audit, me audit. Ebre. 13. Obedite præpositis vestris & obtemperate. Ipsi enim vigilant pro animabus vestris, vt cum gaudio & non gementes officium suum faciant.*

Extrema sunt, contemtus & contumacia aduersus ministros, & simulatio arte premens ministerium,

sterium, & impia obedientia in corruptelis doctrina aut traditionibus impijs.

CONTRIBVTIO ad conseruationem ministerij Euangelici, & alendos docentes in Templis & Scholis: *sicut Israelitæ quotannis viritim didrachmon, & primitias, decimas, primogenita, partes victimarum, &c. ministris Ecclesiæ sustentandis conferebant, & in nouo testamento Dominus ordinauit, vt qui Euangelion annunciant, ex Euangelio viuant.*

Extrema sunt, nihil conferre, sed potius rapere bona ministris Ecclesiæ ab alijs attributa, vt multi principes, nobiles, & rustici Euangelici faciunt: aut profundere opes in Epicurea aut Idolatrica collegia Canonicorum vel monachorum.

PIA OBSERVATIO CEREMONIARVM, quæ institutæ sunt, vt per eas innotescat alijs doctrina de Deo, & sint signa Ecclesiæ, & nerui publicorum congressuum, vt omnia in ijs decenter & ordine gerantur.

Extrema sunt, Impietas contemnens omnes ceremonias publicas: & superstitiosa obseruatio impiorum rituum.

Quid de Ceremonijs in Ecclesia sentiendum est?

CEREMONIAE in genere sunt

gestus seu actiones externæ incurrentes in oculos vel alios sensus externos, ordinatæ ad certos fines.

Suntque aliæ Diuinæ, seu à Deo mandatæ, vel in veteri Testamento, *vt circumcisio & sacrificia Mosaica, quæ fuerunt signa promißionis & Typi beneficiorum Christi & notæ veræ Ecclesiæ, & vincula ac nerui publici ministerij*: vel in nouo Testamento, *vt Baptismus & Cœna Domini, quorum fines infrà recitabimus.*

Aliæ ab hominibus in Ecclesia Dei institutæ, quas Paulus traditiones humanas *nominat, quæ vel palam pugnant & prohibitæ sunt verbo Dei, vt inuocationes & cultus statuarum & hominum mortuorum, Missæ pro defunctis, Indulgentiæ, &c. vel sunt ADIAPHORAE, quas Deus in specie nec præcepit nec prohibuit, & quas suâ naturâ liberum est seruare aut nō seruare: Harum aliæ sunt* vtiles ad bonum ordinem & disciplinam seu pædagogiam rudiorum, & ad tranquillitatem & dignitatem publicorum congressuum ornandam: *vt ordinatio temporum, locorum, lectionum, precum, Cantionum in publicis congreßibus, Catechesis seu examen rudiorum, ritus publicæ Ordinationis cum impositione manuum, ritus copulationis sponsi & sponsæ, deductiones funerū cum pijs canticis, &c. Aliæ sunt ludicræ vel etiam palam superstitiosæ, vt ridiculæ gesticulationes sacrificulorum in sacris,* proces-

processiones cum statuis, circumductio asini in die palmarum, Depositio crucis in sepulchrum & excubiæ, vestitus & rasura Monachorum, &c.

Hos ritus etsi propter infirmos & dociles aliquantisper vnà seruare licet, ne subita aut intempestiua abrogatione veterum rituum, quibus assueuerunt, ab Euangelio deterreantur (Rom. 14.) tamen nec his ludicris, nec ritibus reuera adiaphoris assuenda est opinio, quod sint iusticia coram Deo, aut cultus Dei per sese, aut necessarij ad salutem, aut opera meliora quàm ea, quæ Deus in Decalogo præcepit.

Cùm præcepta Decalogi sint æterna & immota, cur Lex de obseruatione Sabbati à Christianis abrogata est?

LEX de Sabbato partim moralis est, quòd ad genus, hoc est, ad conseruationem publici ministerij attinet: partim ceremonialis, scilicet quatenus ritum septimi diei præcipit, qui vnà cum cæteris ceremonijs Mosaicis abrogatus, & in locum eius prima dies hebdomadæ substituta est, qua Christus Dominus ex morte resurrexit.

QVARTVM PRÆCEPTVM.

Honora Patrem & matrem.

Quid est Honor?

HONOR, est comprobatio alterius, tribuens ei præstantiam propter diuinum aliquod bonum, & propterea reuerenter se ei subijciens.

Sunt autem partes Honoris, parentibus, magistratibus & præceptoribus debiti.

1. Agnoscere totum ordinem & officia parentum, magistratuum, iudicum, & Præceptorum esse opera diuina, quæ à Deo sint instituta & conseruentur: & in his lucere ac conspici sapientiam Dei, iusticiam, ac bonitatem erga genus humanum. 2. Honorifica comprobatio Personarũ, agnoscens ipsas personas parentum, fidelium præceptorum & salutariũ principum esse Dei munera & à Deo iuuari. 3 Reuerentia amans politicũ ordinem & personas, ac se eis subijciens, ac prædicans dona Dei. 4. Gratiarum actio pro his donis Dei. 5. Precatio, vt Deus

res & personas, pios parentes & Magistratus seruet, regat, & adiuuet. 6. Obedientia debita. 7. Candor & æquitas in legibus & actionibus magistratuum & parentum iudicandis. 8. Ἐπιείκεια aliquas infirmitates & næuos eis condonans.

Quæ sunt virtutes seu bona opera Quarti præcepti?

I. Pietas seu philostorgia.
II. Iusticia vniuersalis, seu, Obedientia erga leges.
III. Iusticia distributiua.
IIII. Sedulitas.
V. Gratitudo.
VI. Reuerentia.

PIETAS seu PHILOSTORGIA, est virtus, quæ parentibus & liberis & cæteris sanguine iunctis, tribuit conuenientem amorem & honorem, & debita officia.

Peccata pugnantia cum pietate sunt, Astorgia, Indulgentia, & Impietas.

IVSTICIA VNIVERSALIS, est obedientia erga omnes Leges & magistratus, in societate politica, quæ honestis legibus regitur.

Quid est Politia?

POLI-

POLITIA, est legitima ordinatio certi cœtus hominum, honestis legibus, cum norma legis naturæ congruentibus, consociari, in quo per certos magistratus legibus ordinatos, iuxta certas leges, retinetur disciplina & pax, propter hunc finem principalem, vt in pace ciues sint quàm beatissimi & quàm maximè inter se amici, hoc est, vt doceri homines de Deo, & educari ac institui soboles, honestè regi disciplina, & colligi DEO æterna Ecclesia possit.

Quid est magistratus?

MAGISTRATVS, est gubernator Dei ordinatione constitutus, vt sit nutritius Ecclesiæ Dei & scholarum, & sit custos disciplinæ ac pacis, iuxta leges naturæ & congruentes leges, & sit executor legum, puniens pœnis corporalibus contumaces, & defendens contra iniustam violentiam obedientes.

Extrema Iustica sunt, Inobedientia seu contumacia, seu contemtus superiorum Magistratuum & Legum, Seditio, Superstitiosa obseruatio quarumlibet legum.

IVSTICIA DISTRIBVTIVA est, quæ proportione Geometrica discernit gradus personarum & officiorum

ficiorum in vita, & singulis conuenientem locum & honorem & conueniens munus attribuit.

Extrema sunt Confusio graduum, Tyrannis.

SEDVLITAS, est iusticia suos cuiq; labores attribuens, & inclinans voluntatem, vt diligenter, fideliter & constanter, propter Deum & communem salutem, faciat labores vocationi conuenientes.

Extrema sunt, Ignauia & πολυπραγμοσύνη seu curiositas.

REVERENTIA, est virtus, qua tribuimus alijs suum locum, & dona Dei in alijs agnoscimus & magnifacimus, & agnoscentes nostram infirmitatem, nos eis subijcimus, & hanc subiectionem externis significationibus declaramus.

Extrema sunt, Superbia contemnens alios, & assentatio.

GRATITVDO, est Iusticia, quæ benemeritis debitam gratiam, cùm animi beneuolentia, tum alijs officijs reddit.

Extrema sunt, Ingratitudo, & simulatio gratitudinis, quæ fit verbis inanibus.

QVIN

QVINTVM PRÆCEPTVM.

Non occides.

Quæ ſunt virtutes ſeu bona opera Quinti præcepti.

Omnium Quinti præcepti ac totius ferè ſecundæ tabulæ virtutum commune genus eſt:

DILECTIO PROXIMI.

Huius partes ſunt:

I. Iuſticia particularis.
II. Iuſticia puniens ſcelera,
III. Fortitudo bellica.
IIII. Fortitudo togata.
V. Patientia Philoſophica.
VI. Manſuetudo.
VII. ΕΠΙΕΙΚΕΙΑ.
VIII. Miſericordia.
IX. Candor.
X. Amicitia.
XI. Fidelitas.
XII. Studium concordiæ.

XIII. Hu-

XIII. Humanitas.
XIIII. Nemesis.

DILECTIO PROXIMI, est prælucente vera agnitione Christi & fide statuente se à Deo gratuita propter Filium diligi, vicissim se Deo subijcere, ac obedire, & propter Deum alios homines vera beneuolentia complecti, & detrimenta eorum arcere, & pro virili eis benefacere, quibuscunque officijs possumus.

Pugnant cum Dilectione, Maleuolentia, Odium, Inuidia, Simulatio beneuolentiæ, & cætera sequentium virtutum extrema.

IVSTICIA PARTICVLARIS, est virtus, quæ nullius corpori, famæ vel bonis nocet, vi aut fraude, sed debitum cuiq; reddit, & seruat æqualitatem.

Peccata opposita sunt, INIVRIA, quæ est vel vi, vel desertione, vel fraude, alterius corpus, famam, vel bona lædere sine iusta causa.

PETVLANTIA, quæ sine vlla causa alios contumelia afficit, & pro delectamento habet alijs damnum dare, vel quoslibet contumelia afficere.

NEQVITIA est affectata leuitas, siue cum aliorum iniurijs, siue cum libidinibus coniuncta siue gratis ludens.

Excessus est, Summum ius seu calumniosum.

IVSTI-

IVSTICIA Distributiua in magistratibus afficiens sceleratos pœnis.

Extrema sunt, Crudelitas & indulgentia.

FORTITVDO, est virtus propugnatrix Iusticiæ, suscipiens pericula & labores pro defensione Ecclesiæ, patriæ, honestæ disciplinæ, coniugum, liberorum, & non abijciens animum in rebus aduersis, nec efferens animum in rebus secundis.

Extrema sunt Timiditas deserens eos, quibus debetur defensio, & temeritas accersens pericula non necessaria, & non depellens ea recta ratione.

FORTITVDO Togata est constantia animi perseuerantis in proposito honesto rectè suscepto iuxta vocationem, & tolerantis iniurias propter honestam causam, & excelso animo despicientis voluptates, honores, corruptelas, opes, obtrectationem, inuidiam, virtutis causa, ita videlicet, vt propter hæc impedimenta propositum honestum non abijciat.

Extrema sunt, Mollities animi, iniusta pertinacia, & Stoica morositas.

Vicina virtus est PATIENTIA Philosophica, quæ obedit rationi in tolerandis iniurijs, & omnibus rebus aduersis, & moderatur dolorem, ne opprimat natu-

naturam, & ne impellat, vt contra iusticiam, constantiam, modestiam, vel alias virtutes faciat.

Extrema sunt, impatientia, & Stupor.

MANSVETVDO, est virtus, quæ moderatur iracundiam & vindictæ cupiditatem, remittit offensiones, & condonat etiam veras iniurias, publicæ concordiæ causa.

Extrema sunt, Iracundia, Odium, & Lenitas.

Vicinia & ferè prorsus eadem virtus est ΕΠΙΕΙΚΕΙΑ, seu ÆQVITAS, quæ in persequendis iniurijs remittit aliquid de summo iure, & tolerat in alijs multas infirmitates, vt morositatem, iracundiam, segniciem, πολυπραγμοσύνην, auiditatem gloriæ, &c. publicæ concordiæ causa, & ambiguè facta non calumniosè in deteriorem partem rapit.

Vicina priori, MISERICORDIA, est virtus, quæ dolore afficitur in aliena calamitate, præsertim bonorum vel seductorum hominum, & probabili ratione lenit pœnas, & opitulatur miseris: vel propter Iusticiam, vt cùm sæuitur erga innocentes, vel propter bonitatem relaxantem aliquid de summo iure, vt DEVS miseretur generis humani: vel quia no-

bis quoq; in communi ſorte aliorum miſericordia opus eſt.

Extrema ſunt, Crudelitas, vel ἀστοργία, non affici ſenſu alienæ calamitatis, ἐπιχαιρεκακία, Indulgentia, non punire cùm eſt puniendum, aut non eſt ignoſcendum.

CANDOR, eſt virtus volens bonis bene eſſe, & lætans eorum rebus ſecundis, & approbans alienas voluntates probabili ratione, quædam etiam ambigua flectens in meliorem partem.

Extrema ſunt, Maleuolentia, Suſpicacitas, Liuor, & ſtulta credulitas.

AMICITIA, eſt virtus pro vera beneuolentia reddens veram beneuolentiam, & patiens mutuam communicationem officiorum & rerum liberalium, virtutis cauſa.

Extrema ſunt: Inimicitia, Odium, Simulatio beneuolentiæ.

FIDELITAS, eſt conſtantia voluntatis in vera beneuolentia & omnibus officijs amicitiæ debitis.

Extrema ſunt, Perfidia, & Aſſentatio.

STVDIVM concordiæ ſeu φιλησυχία, eſt virtus, quæ humiliter de ſe ſentiens, & frenans ac moderans iracundiam, & tolerans aliorum infirmitates, & condonans etiam veras iniurias, tuetur

concordiam, & cauet ne pugnet de vlla re non valde necessaria, ne publica tranquillitas Ecclesiæ & Reipublicæ turbetur.

Extrema sunt: φιλονεικία, & lenitas.

HVMANITAS, est copulatio iusticiæ cum virtutibus mitioribus & suauioribus, cum comitate, mansuetudine, ἐπιεικείᾳ, affabilitate.

Extrema sunt: Morositas, non ostendens vllā significationem beneuolentiæ erga alios, & Leuitas.

NEMESIS, vel ZELVS, est indignatio aduersus turpitudinem, seu iustus dolor propter admissum ab alio scelus, & cupiditas depellendi illud ac puniendi.

SEXTVM PRÆCEPTVM.

Non mœchaberis.

Virtutes sexti præcepti.

I. Castitas.
II. Verecundia.
III. Temperantia.

CASTITAS, seu Pudicitia, est virtus, retinens mundiciem animi & corporis cum voluntate Dei congruentem, & vitans omnes libidines à DEO prohibitas.

CASTITAS vitæ cœlibis, est mundicies animi & corporis sine commixtione & contaminatione corporum, & sine vllo seminis abusu.

CASTITAS CONIVGALIS, est corpus suum vni coniugi castum & sanctum seruare, seu leges coniugij diuinitùs institutas, reuerenter tueri.

Est autem CONIVGIVM, legitima & indissolubilis coniunctio vnius maris & vnius fœminæ, instituta diuinitùs, vt agnoscamus Deum esse mentem castam, & ei in castitate seruiamus, & hoc modo propagato genere humano colligatur æterna Ecclesia Deo.

Extrema sunt: Vituperationes & prohibitiones coniugij & sexus muliebris, vaga libidines, & scortationes, adulteria, Diuortia vulgaria, incendia libidinum, omnes effusiones seminis extra coniugium, mulata castitas.

VERECVNDIA, seu Pudor est virtus, quæ veretur veram infamiam semper comitantem delicta, & metu iudicij diuini & propriæ conscientiæ, & aliorum rectè

iudi-

iudicantium, coërcet omnes cupiditates, & vitat delicta, & gestus animorum ac corporum ita regit, vt conueniant ordini naturæ, personarum, & locorum.

Extrema sunt: IMPVDENTIA, quæ est contemnere Dei & omnium hominum iudicia, & sine respectu iudicij, conscientiæ propriæ & aliorum sanorum, omnibus cupiditatibus frenos laxare.

Stupor, δυσωπία, nimia verecundia.

Lasciuia, seu pronitas ad varios ludos, & varias voluptates sine cupiditate nocendi.

Proteruitas est pronitas ad prauas voluptates, & ad contumelias faciendas.

TEMPERANTIA, est virtus, quæ moderatur appetitiones cibi & potus, vt nec precationem, nec somnum impediant.

Extrema sunt: Voracitas, Ebrietas, & nimia Abstinentia.

SEPTIMVM PRÆCEPTVM.

Non furtum facies.

Virtutes seu bona opera septimi praecepti.

I. Iusta possessio & bonus vsus propriarum rerum.
II. Iusticia commutatiua.
III. Beneficentia seu liberalitas.
IIII. Hospitalitas.
V. Frugalitas, seu Parsimonia.
VI. Αὐτάρκεια.

IVSTA Possessio & bonus vsus propriarum facultatum, est virtus, quae in timore Dei, & fide, ac bona conscientia tenet proprias facultates, & agnoscens eas à Deo dari & custodiri, sedulò studet eas honestis rationibus augere, & ad vsus à Deo ordinatos conferre.

Pugnantia sunt: omnia iniusta aucupia opum, superstitiosa collatio facultatum in commune, furtum, &c.

IVSTICIA Commutatiua, est virtus, quae in contractibus seu commutatione rerum seruat aequalitatem Arithmeticam.

Pugnant cum hac virtute omnes fraudes in contractibus.

BENEFICENTIA, seu liberalitas est virtus, quae communicat facultates & ope-

& operas non debitas obligatione ciuili, sed naturali seu diuina, vbi & quando docet, & mediocritatem efficit inter profusionem & sordes.

HOSPITALITAS, est virtus vicina Beneficentiæ, qua peregrinos & hospites, ac præcipuè propter veræ doctrinæ professionem exultantes, vera beneuolentia, & omnibus officijs hospitalibus complectimur.

PARSIMONIA, est virtus, quæ res proprias custodit, vtiliter collocat, vitat sumtus non necessarios, emacitates, luxum, ædificationes, & tamen vbi ratio postulat, expendit quantum opus est.

Extrema sunt: Auaritia, Sordes, & Profusio.

ΑΥΤΑΡΚΕΙΑ, est virtus, vicina parsimoniæ, quæ contenta est præsentibus bonis, & placidè fert paupertatem, & alia incommoda, nec appetit aliena bona, nec frangitur inopia, vt contra pietatem DEO debitam, vel alias virtutes faciat.

OCTAVVM PRÆCEPTVM.

Non loqueris falsum testimonium contra proximum tuum.

Virtutes seu bona opera octaui præcepti.

I. Veritas.
II. Simplicitas.
III. Constantia.
IIII. Modestia & grauitas.
V. Appetitio Gloriæ.
VI. Taciturnitas.
VII. Eloquentia.
VIII. Docilitas.
IX. Comitas.
X. Vrbanitas.

VERITAS, est virtus, quæ inclinat voluntatem, vt veras sententias, hoc est, cum rebus quales sunt, congruentes, in doctrina de Deo & alijs artibus amemus, & vera, recta, explicata & salutaria constanter dicamus & faciamus, & in mori-

moribus fugiamus insidiosas occultationes & simulationes.

Obiecta sunt.

Doctrina de Deo, natura rerum, moribus.

Iudicia, videlicet, Accusationes, Defensiones, Testimonia, Sententiæ iudicum.

Pacta seu promißiones omnes in fœderibus & contractibus, emtionibus, venditionibus.

Consilia in gubernatione & priuata vita.

Sermones de aliorum virtutibus & turpitudine, seu laudes & vituperationes.

Significatio nostræ voluntatis erga alios, in sermonibus, gestibus, &c.

Peccata pugnantia cum Veritate, sunt omnia MENDACIA*, omnes opiniones, sermones & gestus, non congruentes cum rebus ipsis, & nocentes vel ipsi mendaci, vel aliis, & tota Sophistica, quæ falsas opiniones & malas causas fucosis prætextibus tuetur.*

Hæreses & studium discendi, docendi aut defendendi falsas opiniones, vel inutiles & non necessarias subtilitates in omnibus doctrinis.

Calumniæ forenses omnes, in accusationibus, testimonijs, sententijs iudicum.

Perfidia in seruandis promißis, & fœderibus, ac amicitijs, periuria, & fraudes in contractibus.

Perfidia & Ironia in dandis consilijs.

Obtrectatio, Maledicentia, Vanitas, iactantia,

Omnis hypocrisis seu simulatio in moribus & gestibus.

SIMPLICITAS, est perspicua & aperta veritas, sine inuolucris & ambagibus, seu est vera, recta & explicata, in artibus, & in communi vita propriè & perspicuè dicere & facere.

Extrema sunt, Duplicitas, fuci, ambages in doctrina & moribus, & simulatione simplicitatis, alteri insidiari & nocere.

CONSTANTIA, & GRAVITAS, est perseuerantia in Veritate & Iusticia: & gubernatio omnium actionum & gestuum, cum norma rectæ rationis congruens.

Extrema sunt, Lenitas & Morositas.

MODESTIA, est virtus, quæ frenat nos, ne in opinione de nobis, aut sermone, plus nobis tribuamus, quàm nostræ imbecillitati conuenit, nec in actionibus supra nostras vires nos efferamus, aut extra vocationem aliquid suscipiamus, nec despiciamus alios: sed in timore Dei & fide diligenter faciamus officia vocationis, & in gestibus non discedamus à naturæ, personarum, ac locorum ordine.

Extrema sunt: ARROGANTIA, quæ in opinione plus sibi tribuit quàm adest, IACTANTIA,

TIA, quæ verbis immodicè & falsò de se prædicat, AMBITIO, quæ tentatis actionibus non necessarijs aut iniustis extra vocationem, alijs antecellere quærit: & nimia modestia seu stupor: præterea inciuilitas morum, scurrilitas in gestu & vestitu, obscœnitas, & impudentia.

APPETITIO veræ GLORIAE, est virtus, quę opus suum probans, seu consilia & actiones vitæ omnes ad normam voluntatis diuinæ gubernans, & vocationis officia diuinitùs mandata fideliter & sedulò faciens, studet consequi approbationem Dei & propriæ conscientiæ rectè iudicantis, & aliorum bonorum ac rectè iudicantium comprobationem.

Extrema sunt: Leuitas ac Impudentia, & Ambitio.

DOCILITAS, est virtus, quæ flectit animos, ne arroganter de se sentiant, sed vt alios audiant, discant, & veris sententijs assentiantur.

Extrema sunt: pertinacia & Academica ἐποχὴ, seu Leuitas semper & omnia discens, & nunquam ad agnitionem veritatis perueniens.

TACITVRNITAS, seu ratione tacere.

Extrema sunt: Garrulitas, Futilitas, & dissimulatio

mulatio eorum, qui tacent tunc quoq́, cùm mandatum Dei præcipit confeßionem.

ELOQVENTIA, est virtus, quæ mentem & linguam regit, vt Deo grata, & hominibus salutaria perspicuè & ornatè dicat.

Extrema sunt, Omnes abusus facultatis loquendi.

COMITAS, seu AFFABILITAS, est virtus, inclinans nos, vt in loquendo, in audiendo, in respondendo, & officijs præstandis, in vultu & gestibus, quadam suauitate beneuolentiam nostram erga alios declaremus.

Extrema sunt: Lenitas & Morositas fastidiosè audiens alios, duriter respondens, & difficulter officia præstans, nec vllam suauitatis & beneuolentiæ significationem erga alium ostendens.

VRBANITAS, est ornamentum veritatis, quia iocosè vel figuratè, vel falsè dictis tempestiuè & honestè alij admonentur, aut leniuntur, aut etiam in loco irritantur.

Extrema sunt: Scurrilitas, quæ iocos obscœnos & contumeliosos spargit, & gestu vel mordaci dicto petulanter reprehendit: & stoliditas ac insulsitas.

NO,

NONVM ET DECIMVM PRÆCEPTVM.

Non concupisces, &c.

In IX. & X. præcepto præcipitur rectitudo omnium virium hominis congruens ad normam legis, vel conformitas cum lege DEI, ſeu congruentia, ſeu conuenientia, ſeu ſimilitudo totius naturæ humanæ, mentis, voluntatis, cordis, omnium virium & membrorum externorum, quæ cum norma mentis diuinæ in Lege expreſſæ, perfectè congruere debebant. In ſumma, iuſticia originalis, ſeu imago DEI, ad quam homo conditus eſt.

Peccatum pugnans cum IX. & X. præcepto, eſt CONCVPISCENTIA, quæ eſt ἀταξία ſeu corruptio omnium virium hominis, videlicet in mente cæcitas, caligo & dubitationes de Deo, in volũtate & corde auerſio à Deo, & vacuitas timoris DEI, dilectionis, inuocationis, fidei. Item prauæ inclinationes, inordi-

natæ

natæ appetitiones & flammæ viciosorum affectuum.

Qui sunt fines seu vsus Legis diuinæ: & cur aßiduè meditandus est Decalogus?

I. Legis noticia est testimonium, quòd verè sit Deus.

II. Docet qualis sit Deus, videlicet iustus, verax, beneficus, castus, qualem Lex describit.

III. Docet ad quid condita sit natura humana, videlicet, vt Deũ agnoscat, & ei iuxta Legem obediat.

IIII. Ostendit peccatum, & est perpetuum iudicium Dei, accusans ac damnans omnes homines, qui non confugiunt ad CHRISTVM Mediatorem.

V. Est regula bonorum operum, in quibus renati suam obedientiã erga Deum exercere debent.

VI. Est norma uitæ hominum, etiam non renatorum, vt mores honesta disciplina regant.

Potéstne homo Legi Dei satisfacere?

R. Ne-

R. Nemo hominum in hac tristi corruptione naturæ potest integram & perfectam obedientiam Legi Dei debitam præstare: Rom. 8. 7. sed externi mores vtcunque regi iuxta Legem, etiam à non renatis possunt, & disciplina honestè frenari, Rom. 2. Tit. 3.

Quid est Disciplina?

DISCIPLINA, est regere externos mores, vt cum lege Dei seu recta ratione congruant, & reprimere impetus affectuum viciosos, & vitare externa scelera, quæ Lex Dei prohibet.

Propter quas causas exigit disciplinam Deus etiam à non renatis?

Propter quinque causas.

I. Mandatum Dei. *Rom. 13. Necesse est obedire, non tantùm propter iram, sed etiam propter conscientiam. Proinde quod bonum est, facito, & habebis laudem ab eo.*

II. Vt vitentur pœnæ. *Nam Regula iudicij Diuini in Ecclesia & apud Ethnicos certa & immota est: Atrocia scelera puniuntur à Deo atrocibus pœnis, vel immediatè, vel per Magistratus, Rom. 13. Non frustra gladium gerit, sed tibi ad vindictam, si malè egeris.*

III. Vt

III. Vt ſocietas ciuilis tranquilla, & incolumis conſeruetur.
IIII. Vt noſtro exemplo alios ad honeſtatem morum & virtutem inuitemus.
V. Cauſa vſitatè allegatur ex Paulo, Galat. 3. Lex pædagogus noſter fuit in Chriſtum, vt ex fide iuſtificaremur. *Vt enim boni pædagogi officia tria ſunt: Docere, & coërcere diſciplina & mores regere, caſtigare delinquentem: Ita Lex primùm docet nos de Deo, quòd ſit, de officijs Deo debitis, de ira Dei, peccato, iuſticia, iudicio, &c. Deinde cuſtodit & concludit nos tanquam carcere, non modò frenos & vincula inijciens viciosis cupiditatibus & externis membris, ne pro libidine contra voluntatem Dei ruant, ſed etiam accuſans, perterrefaciens, & damnans nos propter peccatum, atq; in his terroribus & anguſtijs impellens & cogens nos confugere ad Filium Dei redemtorem & medicum, qui nos ex carcere legis, peccati & mortis, quo concluſi tenebamur, liberauit. Hæc eſt propria & genuina dicti Paulini ſententia, cum qua etiam vſitata accommodatio non pugnat, congruens cum dicto: Nec ſcortatores, nec idolatræ, nec adulteri (nec vlli in violatione externæ diſciplinæ pertinaciter perſeuerantes) regnum Dei poßidebunt.*

In renatis verò diſciplina, ſeu gubernatio morum iuxta Legem Dei, quæ fit prælucente in corde vera agnitione Chriſti & fide, eſt cultus Dei, & pars

pars nouæ obedientiæ, & quidem à Spiritu sancto iuuatur & purior redditur, & præsentibus ac æternis præmijs compensatur.

Quæ sunt impedimenta Disciplinæ?

Tria præcipua. *Primùm, Naturalis infirmitas, seu caligo & cæcitas mentis: procliuitas voluntatis præcipitantis in motus Deo displicentes: & incendia prauorum affectuum.*

II. *Externæ illecebræ, praua sodalitia, exempla multitudinis vitiosa, variæ & multiplices delictorum occasiones.*

III. *Impulsiones Diabolorum.*

DE PROMISSIONIBVS ET COMMINATIONIBVS additis Decalogo.

In singulis Decalogi præceptis prodest has quinque quæstiones ordine considerari. Quæ virtutes flagitentur? Quomodo geri possint? Quæ peccata prohibeantur? Quæ promissiones additæ virtutibus? & comminationes pœnarum, quæ certissimè peccata comitantur.

Etsi autem non sunt additæ singulis Præceptis promissiones & comminationes in ipso Decalogo, tamen summa comprehensa est in hac cõcione addita primo præcepto: Ego sum Dominus Deus tuus,

fortis, Zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me, & faciens misericordiam in millia his qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea. Item, Leuit. 18. Qui fecerit hæc, viuet in eis. Rom. 10. Galat. 3. & Deut. 27. Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro Legis.

His addantur promissiones præmiorum & comminationes pœnarum de virtutib. & vitijs singulorum præceptorum traditæ, quarum pleraq; in Prouerbijs Salomonis & Syracidæ collectæ sunt, & passim in Prophetarum concionibus de bonorum operum præmijs & peccatorum pœnis repetuntur.

Vt autem rectè intelligantur Promissiones & Comminationes, prodest has sex commonefactiones in conspectu habere, quas nunc breuissimè recitabo:

PRIMO: *Cùm Deus sit verax, certissimum est comminationes ipsius non inania terriculamenta, nec promissiones inanem sonitum esse, & ideò propositas, vt quoquo modo stultos demulceant. Firmissimè igitur statuamus, etiamsi sæpe euentus nobis non videntur respondere, tamen omnes diuinas promissiones & comminationes, in ea forma & sententia, qua Deus eas tradidit & interpretatus est, veras, certas, ratas, firmas & immotas esse.*

SECVNDO: *Accuratissimis limitibus discernenda sunt genera promissionum. Promissio*

Euange-

Euangelij propria,remißionem peccatorum, imputationem iustitiæ, Spiritum sanctum & vitam æternam omnibus credentibus, G R A T I S, propter Christum promittit,non propter vllum nostrum meritum vel obedientiam.

Promißiones verò legales nequaquam Gratis offerunt remißionem peccatorum & vitam æternam,& alia præmia spiritualia ac corporalia, sed annexam habent conditionem perfectæ obedientiæ, tanquam causam & meritum, propter quod bona promissa sint exhibenda, vt dicitur: Qui fecerit hæc, viuet. Item, Sum misericors his, qui diligunt me,& custodiunt præcepta mea.

T E R T I O: Cùm autem nemo præstet perfectam obedientiam, quam Lex flagitat: quærunt anxiæ mentes, quomodo amplißimæ promißiones præmiorum singulis virtutibus additæ, nobis ratæ fiant, & quomodo pœnæ vitari poßint? Ad hanc quæstionem respondet Paulus.2 Corinth. 1. Omnes promißiones Dei in Christo sunt Amen, id est,ratæ ac firmæ, hoc est, verè & certò dantur propter Christum. Item, Rom. 3. Legem stabilimus per fidem. Nam fide confugientibus ad Christum datur Spiritus sanctus,qui inchoat obedientiam cõgruentem cum Lege Dei, quæ præmijs spiritualibus & & corporalibus in hac vita & æterna ornatur, vt 1.Timoth 4. dicitur: Pietas habet promißiones præsentis & futuræ vitæ. Item, Matth. 5. Merces vestra copiosa est in cœlis.

Dantur autem præmia in promißionibus oblata, eo ordine & modo, quem Christus in Euangelio præscribit, Marci 10. Recipient centuplum in hac vita, sed cum tribulatione, & post hanc vitam, vitam æternam, hoc est, præcipua pæmai, & præcipuæ pœnæ differuntur in vitam æternam.

QVARTO: Discernendæ sunt promißiones in Euangelio traditæ.

Prima, summa, & maximè necessaria PROMISSIO GRATIAE *& reconciliationis ac vitæ æternæ, seu bonorum spiritualium & æternorum, quæ Deus propter Christum certò & nominatim, & sine vlla conditione & exceptione, promisit se daturum esse. Hæc præcipua Euangelij promißio semper rata & firma est credenti, etiam omnibus bonis corporalibus amißis. Ideoq; firmißima fide retinenda est, vt Iob. 13. dicitur: Etiamsi occiderit me, sperabo in eum. Psal. 73 Cùm contabescunt caro mea & cor meum, tu petra cordis mei & pars mea Deus in æternum. Rom. 1. Ideo ex fide, gratis, vt firma sit promißio.*

Aliæ sunt promißiones Rerum corporalium necessariarũ ad huius vitæ mortalis conseruationem, vt vitæ, bonæ valetudinis, cibi, potus, defensionis, liberationis ex morbis, carcere, exilio, bello, peste, fœcunditatis agrorum, & similium, quæ panis quotidiani appellatione continentur. Has quoq; tradidit Deus propter sex causas. Primùm, vt agnoscamus Deum auctorem & conseruatorem esse etiam

huius

huius vitæ corporalis, nec casu spargi bona corporalia, nec nostra tantùm diligentia ea acquiri, sed verè à Deo dari. Deinde, vt Ecclesia in hac vita conseruetur. Vt Fides & Inuocatio in petitione, & expectatione corporalium bonorum exerceantur. Vt commonefaciant nos de Christo & promissione bonorum spiritualium. Vt gratitudinem nostram Deo quotidie in vsu bonorum corporalium declaremus. Postremo, vt bona corporalia sint adminicula nostræ vocationis, & instrumenta beneficentiæ & aliarum virtutum.

QVINTO: *Hæ quoq; promissiones bonorum corporalium, veræ & ratæ sunt sicut sonant, & certò exhibentur bona sicut promissa sunt, videlicet additis his quatuor exceptionibus.*

I. *Ne modus aut tempus exhibendi bona & liberationes corporales Deo à nobis præscribatur, sed simpliciter ipsius sapientiæ & voluntati paternæ relinquatur. Ideoq; parata sit ad obedientiam voluntas nostra, si diutius nos exercere Deus velit, & liberationem certò consilio differat.*

II. *Cùm promittantur bona bonis & obedientibus, non impeditur Deus his promissionibus, quò minùs impios & sceleratos seuerè puniat.*

III. *Cùm in pijs etiam & obedientibus, seu vera Ecclesia, multæ sordes peccatorum reliquæ sint: certò consilio Deus etiam pios & sanctos, ærumnis & cruce vult exerceri, propter duodecim causas, quæ in loco de Ecclesia recitabuntur.*

IIII. *Non sunt rapiendæ promißiones corporales nostris consilijs sine vocatione diuina: vt filij Ephraim (1.Par.7.) inuadentes terram promissam sine vocatione, interficiuntur. Abraham verò, etsi promissa ipsi erat terra tamen nunquam eam occupauit. Dauid, etsi promissum ipsi erat regnum, tamen non rapuit regnum, donec vixit Saul, sed vocationem expectauit.*

SEXTO, Comminationes & pœnæ, quæ immutabili ordine peccata comitantur, sancitæ sunt à Deo propter sex causas, quæ sunt:

1. *Iusticia Dei, cuius norma æterna & immota est punire & destruere ac delere sceleratos.*
2. *Vt in pœnis conspiciamus discrimen virtutis & vitiorum & agnoscamus Deum bonum, iustum & virtutis amantem esse.*
3. *Vt hæ breues pœnæ corporales sint commonefactiones de æternis pœnis.*
4. *Vt pœnæ nos impellant ad pœnitentiam, ad vitanda peccata & emendationem vitæ.*
5. *Vt tranquillitas publica conseruetur.*

Postremò, Vt exemplis horribilium pœnarũ deterriti alij vitent delicta, quibus pœnæ attrahuntur.

Omnibus autem comminationibus pœnarum addit Deus conditionem pœnitẽtiæ, qua semper vel liberatio vel mitigatio calamitatum impetratur, vt Ieremiæ 18. dicitur: Si pœnitentiam egerit gens illa à malitia sua, contra quam loquor: agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitaui, vt face-

facerem ei. Et ideò differt Deus pœnas, vt homines ad pœnitentiam inuitet. Sap. 11. Dissimulas peccata hominum, vt agant pœnitentiam.

QVARTVS LOCVS.

DE PECCATO, QVOD PER LEGEM DEI COGNOſcitur, accuſatur & damnatur.

Quid est Peccatum?

PEccatvm, eſt quicquid pugnat cum Lege Dei, *quæ æterna & immota bonitatis & rectitudinis norma eſt. 1. Iohan. 3. ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἀνομία, peccatum eſt iniquitas, ſeu deflexio à regula legis diuinæ, ſeu diſsimilitudo cum lege, ſeu non congruere cum lege. Competit enim vocabulum ἀνομίας propriè peccato, per ſe conſiderato, in abſtracto, non concreto, quod non ἀνομία, ſeu ἄνομον eſt.*

Sit & altera definitio pueris nota, quæ in locis traditur.

Peccatvm, eſt defectus, vel inclinatio, vel actio, pugnans cum lege Dei, promerens iram Dei, & æternas pœnas, niſi fuerit facta remiſsio propter Filium Mediatorem.

Quæ eſt cauſa efficiens Peccati?

Non DEVS, ſed liberum arbitrium Diaboli & hominis. *Toto enim pectore amplectenda eſt ſententia, Deum non eſſe cauſam peccati, nec approbare peccatum, nec impellere ad peccandum, ſed primi peccati cauſam eſſe liberam voluntatem Diaboli & primorum parentum, qui liberè & ſua ſponte auerterunt ſe à Deo, & ſapientiam & iuſticiam & libertatem voluntatis, in creatione ipſis inſitam, ſibi, & toti poſteritati amiſerunt. Deut. 23. Deus noſter abſq; vlla iniquitate rectus & iuſtus eſt. Ioh. 8. Diabolus homicida eſt ab initio, & in veritate non ſtetit. Cùm mēdacium loquitur, ex proprijs loquitur, quia mendax eſt, & pater mendacij. Rom. 5. Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum.*

Externorum autem peccatorum tres ſunt cauſæ:

I. Errores, ſeu cæcitas & caligo mentis humanæ, quæ lapſum primorum parentum ſecuta eſt.

II. Prauæ cupiditates in voluntate & corde.

III. Incitatio Diaboli.

Materia in qua, *eſt Mens, Voluntas, Cor & potentiæ obtemperantes, & omnia membra externa.*

Forma, *eſt reatus, hoc eſt, obligatio perſonæ ad iram Dei & æternam damnationem.*

Fines

Fines & effectus sunt:

I. Ira Dei.
II. Æterna damnatio.
III. Mors corporis.
IIII. Omnes calamitates generis huma-
V. Tyrannis Diaboli. (ni.
VI. Concupiscentia, quæ simul est peccatum, & pœna peccati.

Quot sunt genera peccati præcipua?

Duo. Peccatum originale, & actuale.

Quid est peccatum originale?

PECCATVM ORIGINIS, est defectus, vel inclinatio, pugnans cum Lege Dei, nobiscum nascens, & secuta lapsum Adæ, promerens iram Dei, & æternas pœnas, nisi fuerit facta remissio propter filium Dei redemtorem. *Psal. 51. Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Rom. 3. Omnes peccauerunt, & priuati sunt gloria Dei sicut Iohan. 1. Esa. 9. totum genus humanum nominantur Tenebræ, id est priuati & carentes luce veræ agnitionis Dei, veræ iusticiæ & vitæ, quam Deus approbat. Rom. 8. Sensus carnis non obtemperat, ac ne quidem potest obtemperare.*

1. Cor. 2. *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei, nec potest intelligere. In his testimonijs, defectus seu priuationem iusticiæ, & ἀδυναμίαν obediendi Deo, nobiscum nascentem, propter quam naturâ filij iræ sumus, describi, manifestum est.*

PECCATVM ACTVALE, est actio interior vel externa pugnans cum Lege Dei, *vt in mente dubitationes Epicureæ vel Academicæ, & omnes falsæ opiniones de Deo, etiamsi lingua vel calamo non præferantur: in voluntate admiratio sui, neglectio & contemtus Dei, fiducia rerum carnalium, fremitus recusans placidè obedire Deo in ærumnis: in corde iniusta odia, iræ, cupidites, amor vitæ, voluptatum, opum, gloriæ, maior, quàm ipsius Dei. Externæ actiones sunt blasphemi sermones, mendacia, periuria, cedes, adulteria, seditiones, furta, fraudes in contractibus, &c.*

Huic actuali peccato propriè congruit vsitata definitio, sæpe ab Augustino repetita: Peccatum est cogitatum, concupitum, dictum vel factum contra Legem Dei. *Ideoq; in scholis etiam peccatum cordis, videlicet prauas cogitationes & affectus cordis, distinguunt à peccato operis, quod dicto vel facto committitur.*

SPECIES *Peccatorum secundùm ordinem præceptorum Decalogi rectiss. distribuuntur, vt suprà in loco de lege ea enumeraui, & mediocris catalogus*

talogus Rom. 1. Gal. 5. 1. Corinth. 6. & alibi recensetur.

Discerni etiam genera peccatorum actualium, in peccata commißionis, & omißionis ac negligentiæ adfectatæ, possunt: sicut & Iurifcon. discernunt DOLVM, *seu crimen, seu Flagitium, videlicet factum, quo Lex Dei contra conscientiam violatur: &* CVLPAM *latam vel leuem, cùm vel errore iudicij, vel subitis flammis affectuum, vel desidia & negligentia peccatur.*

Dic alteram Diuisionem peccati.

peccatum [illegible] aliud est veniale aut mortale

VENIALE PECCATVM est defectus, vel inclinatio, vel affectus, pugnans cum Lege Dei, in renato, cui retinenti fidem, & repugnanti prauis affectibus spiritu, reatus remittitur.

Sedes aũt materia de Peccato in renatis et sanctis reliqua, est Rom. 7. 8. Non quod volo bonũ hoc facio: Video aliam legem in membris meis, rebellantem legi mentis meæ, & captiuum me facientem legi peccati, &c. Nulla autẽ condemnatio est his qui in Christo Iesu non secundùm carnẽ ambulant, sed secundùm spiritum, & deinceps vsq; ad clausulam. Si spiritu actiones carnis mortificabitis, viuetis. 1. Ioh. 1. Si dixerimus, quòd peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas non est in nobis.

MORTALIA PECCATA sunt, non tantùm septem illa, quæ vulgò numerantur, Superbia,

bia, Inuidia, Ira, Acedia, Auaritia, Gula, Luxuria siue Libido, quæ tamen plurimorum peccatorum externorum fontes & scaturigines sunt: sed in non renatis, omnia peccata originalia & actualia: at in lapsis, qui antea fuerunt renati, sunt delicta contra conscientiam, seu, quæ fiunt à scientibus & volentibus, propter quæ amittit homo gratiam & Spiritum sanctum, & fit reus iræ Dei & æternarum pœnarum, nisi ad Deum conuertatur.

Ephes. 5. Hoc scitote, quòd omnis scortator aut impudicus, aut auarus, non habet hæreditatē in regno Christi & Dei, Ne quis vos decipiat inanibus sermonibus. Propter hæc enim venit ira Dei in filios inobedientes. Ezech. 33. Cùm recesserit iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem morietur.

Quatuor peccata clamantia in cœlum nominant, Homicidium voluntarium Genes. 4. Sodomiam Genes. 19. Oppressiones pauperum, viduarum, &c. Deut. 15. Exod. 22. Psal. 95. Mercedem operario negatam, Exod. 24. Iacob. 5.

Nouem modi, quibus communicamus peccatis alienis, hoc tristicho comprehensi sunt:

Inquinat alterius vitijs se qui malè sanus
Consulit, assentit, mandat palpátue, receptat,
Participátue, silet, non obstat, non manifestat.

PECCATVM IN SPIRITVM SANCTVM, est vel veritatem agnitam

tam petulanter oppugnare, & opera, quæ certò apparet spiritu Dei facta esse, odio Pharisaico tribuere Beelzebub, & dicere Diaboli opera esse: vel desperare, hoc est, adimere Deo laudem misericordiæ seu gratiæ exuberantis supra peccatum.

Alij sex species recitant:

Pneumatis est hostis præsumens, spemq́ue relinquens,
Impugnans verum, doni fratris malus osor,
Obduransq́ue animum simul ac sperans μετάνοιαν.

Sed nos de peccato irremissibili statuamus à posteriori iudicandum esse, & quantacunque sint nostra peccata, sciamus mandatum Dei esse, vt conuersi credamus, omnia peccata nobis remitti, & promissionem Gratiæ vniuersalem ac gratuitam esse.

Matth. 11. Venite ad me omnes. Rom. 5. Gratia exuberat supra peccatum. Iohan. 3. Omnis, qui credit in Filium, habet vitam æternam.

QVINTVS LOCVS.

DE EVANGELIO SEV PROMISSIONE REMISSIONIS peccatorum propter Christum & Fide iustificante.

Quid

Quid est Euangelium?

EVANGELIVM, est PROMISSIO DE CHRISTO: seu, doctrina non natura nota, sed ex arcano consilio Diuinitatis per Filium prolata, in qua DEVS immensa misericordia propter Christum Filium suum GRATIS promittit remissionem peccatorum, iusticiam, Spiritum sanctum & vitam æternam, omnibus agentibus pœnitentiam, & fide hæc promissa bona amplectentibus.

Summa autem Euangelij est hoc dictum Christi: Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.

Vel Rom. 3. Iustificamur gratis, Dei gratia, per redemtionem in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiatoriũ per fidem in sanguine eius, &c.

Quod est discrimen Legis & Euangelij?

Tria sunt præcipua & illustria discrimina.

Primum, Lex est naturâ nota, *vtpote insita mentibus humanis in prima creatione, quæ etiam post lapsum non prorsus extincta est, Rom. 1. & 2.* Euan-

Euangelion non eſt naturâ notum, ſed à Filio Dei reuelatum eſt. *Iohan. 1. Epheſ. 1. 3. Rom. 16. Geneſ. 3.*

Secundùm, A Promiſsionibus. Lex promittit iuſticiam & vitam, ſed cum conditione perfectæ obedientiæ. Rom. 10. Qui fecerit hæc, viuet in eis.

Euangelion verò promittit remiſsionem peccatorum, iuſticiam & vitam æternam, GRATIS, propter ſolum Chriſtum, non propter noſtram obedientiam erga Legem, Rom. 3. 4. 10.

Tertium ab effectibus: Lex neminem iuſtificat, neminem liberat à peccato, neminem ſaluat, ſed tantùm accuſat, monſtrat & auget peccatum, & damnat omnes homines propter peccatum.

Deut. 27. Maledictus omnis, &c. Rom. 3. 4. 5. 8 Galat. 3. 1. Corinth. 15.

Euangelion verò eſt potentia Dei ad ſalutem omni credenti, & Gratis, propter Chriſtum donat credentibus remiſſionem peccatorum, iuſticiam & vitam æternam, Rom. 1. 3.

Quod eſt diſcrimen veteris & noui Teſtamenti?

Idem ferè quod Legis & Euangelij.

Quid

Quid est nouum Testamentum?

NOVVM TESTAMENTVM planè idem est quod Euangelion, seu promissio remissionis peccatorum, gratiæ Dei, Spiritus sancti & æternæ salutis, propter Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, pro nobis mortuúm gratis credentibus donandæ, Matth. 26. Galat. 3. Ebr. 6. 2. Cor. 3.

Quid est Vetus Testamentum?

VETVS TESTAMENTVM propriè est promulgatio Legis Mosaicæ, & promissio terræ Canaan, & certæ politiæ ac defensionis, à Deo facta Israëlitis seruantibus legem: cui ceremonias & sacrificia Deus adiunxit, vt essent Typi personæ sacrificij & beneficiorum Christi, propter quem solum credentes omnibus temporibus remissionem peccatorum & æternam salutem consecuti sunt.

Quod est discrimen Spiritus & Literæ?

SPIRITVS, significat Christum ipsum, seu Spiritum Christi sanctum, qui per ministerium Euangelij lucem veræ agni-

agnitionis Dei, veram consolationem, iusticiam, & vitam in cordibus accendit.

LITERA, significat Legem Mosaicam, literis scriptam in tabulis lapideis, & omnem obedientiam seu conatum faciendi opera legis ceremonialia vel moralia, sine Spiritu sancto, seu sine vera in Christum fide per Spiritum sanctum accensa, 2.Cor.3. Rom.2.7.

Hæc doctrina de discrimine Legis & Euangelij, lumen est in vniuersa Ecclesiæ doctrina, necessarium ad veram agnitionem Dei, & beneficiorum Christi, ad veram inuocationem Dei, ad fidem, ad veros cultus Deo præstandos, ad veram consolationem animorum, & æternam salutem. Et est velut norma ac Regula, omnes controuersias de Iustificatione & alijs grauißimis articulis præcipuè gubernans ac dijudicans. Ideò diligentißimè imis pectorum penetralibus hæc doctrina de discrimine Legis & Euangelij infigenda est, cui tantùm tribuit Lutherus, vt scripserit, eum perfectum Theologum esse, qui in docendo, & in doloribus conscientiæ Legem ab Euangelio accuratè discernere poßit.

Extructa sunt autem hæc discrimina ex dictis, Iohã.1. Lex per Mosen data est, Gratia & Veritas per Iesum Christũ facta est. Deum nemo vidit vnquam Filius, qui est in sinu patris, ipse enarrauit.

Rom.3. Nunc sine Lege Iusticia Dei manifesta-

ta est, testificata per Legem & Prophetas. Iusticia autem Dei per fidem Iesu Christi, in omnes, & super omnes, qui credunt, &c. Lege totam illam partem capitis tertij.

Rom. 4. *Si ex lege est hæreditas, aboletur promißio. Lex enim iram operatur. Ideo ex fide, gratis, vt firma sit promißio.*

Rom. 8. *Cùm impoßibile esset Legi iustificare, eò quòd non seruabatur à carne, misit Deus Filium suum in similitudine carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iusticia Legis impleretur in nobis.*

Rom. 10. *Moses describit iusticiam Legis, quòd, qui fecerit eam homo, victurus sit per eam. Cæterum quæ ex fide est iusticia, sic loquitur, &c.*

Gal. 3. *Totum caput & præcipuè hæc sententia: Si ex Lege est hæreditas, non iam est ex promißione: atqui Abrahæ per promißionem donauit Deus: Quid igitur Lex?*

Ephes. 3. *Euangelium absconditum est à seculis in Deo, qui omnia condidit per Iesum Christum, per quem audemus accedere cum fiducia per fidem illius.*

Philip. 3. *Omnia habeo pro damno, vt Christum lucrifaciam, vt reperiar in illo non habens meam iusticiam ex Lege, sed eam, quæ per fidem est Christi.*

Gen. 12. *In semine tuo benedicentur omnes gentes. Non dicit in seminibus, tanquam in multis,*

sed tan-

sed tanquam in vno, & in semine tuo, qui est Christus. At maledictus omnis, qui non permanet in omnibus, quæ scripta sunt in libro Legis. Galat. 3.

Ieremiæ 32. Ecce dies venient, dicit Dominus, et feriam cum domo Israël fœdus nouum, &c. Confer Epistolæ ad Ebræos caput octauum & nonum.

Hæc testimonia, quæ recitaui, fundamentum continent doctrinæ de discrimine Legis & Euangelij. Ideo ab auditoribus diligentißime consideranda & euoluenda sunt.

Quod est discrimen inter iusticiam Legis & Euangelij?

Lex promittit iusticiam & vitam æternam, sed simul flagitat perfectam obedientiam tanquam causam. Ideo IVSTICIA LEGIS est vel perfecta omnium virium obedientia erga totam legem Dei, expers omnis peccati, qualis in nullo hominum, solo Christo excepto, extitit. Vel est qualiscunque obedientia externorum membrorum, præstans externa opera, quæ lex Dei flagitat, & nunquam satisfacit legi Dei.

Euangelium verò GRATIS promittit remissionem peccatorum, iusticiam, & vitam æternam, non propter nostram obedientiam erga Legem, sed

propter solum filium Dei Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, quem sola fide amplectimur.

Quid igitur est Iusticia Euangelij, seu Iustificatio hominis coram Deo?

IVSTICIA CHRISTIANA est remissio peccatorum, & imputatio iusticiæ Christi, & acceptatio ad vitam æternam gratuita, non propter vllas virtutes aut opera nostra, sed propter solum Christum mediatorem donata, & fide apprehensa.

Quid est Gratia Dei?

GRATIA, est misericordia DEI gratuita propter filium mediatorem promissa, *seu gratuita remißio peccatorum propter Christum mediatorem.*

Quomodo iustificatur Homo coram Deo?

GRATIS, non propter vlla propria opera aut merita, sed tantùm propter vnicum Mediatorem Iesum Christum, qui pro nobis victima & propiciator factus est, consequitur Homo in vera conuersione remissionem peccatorum, & fit iustus,

iustus, hoc est, Deo placens & acceptus, propter Christum iusticia imputata, & fit hæres vitæ æternæ, cùm certò credit hæc bona sibi à Deo propter filium donari.

Quid est Fides iustificans?

Fides, est noticia personæ & beneficiorum Christi, ac totius doctrinæ à Deo traditæ: & assensus, quo amplectimur totam doctrinam: & in hac, promissionem gratuitæ reconciliationis, seu imputationis iusticiæ propter Christum donandæ, & fiducia in Christo mediatore iuxta promissionem acquiescens, & certò statuens sibi peccata remitti, se Deo placere, se recipi & exaudiri, propter solum Christum, Gratis, non propter propriam dignitatem.

Quomodo intelligenda est hæc Propositio, Sola fide sumus iusti?

Correlatiuè intelligenda est, videlicet, quòd propter solùm Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum accipiamus remissionem peccatorum, iusticiam, & vitam æternam Gratis, non propter nostra merita.

Ideo autem hac forma verborum (fide

Iuſtificamur) vtitur ſcriptura, vt vtrumq; doceat. Quæ ſit cauſa ſeu meritum Iuſtificationis, ſeu quæ ſint beneficia Chriſti, videlicet, quod per, & propter ſolum Chriſtum donetur nobis remiſsio peccatorum, Iuſticia, & vita æterna. Deinde quomodo nobis applicari, & ad nos transferri debeant, videlicet Sola fide, amplectente promiſsionem, & in CHRISTO acquieſcente.

Quid excludunt hæ particulæ, Gratis, ſine Lege, ſine operibus Legis, ſola fide?

Non excludunt meritum Chriſti, nec noſtram pœnitentiam, nec reliqua opera aut virtutes, ne adſint fidei, aut ſequãtur: ſed adimunt cæteris virtutibus ſeu operibus, meritũ ſeu cauſam remiſsionis peccatorum, & transferunt cauſam in ſolum Chriſtum mediatorẽ fide apprehenſum.

Propter quas cauſas neceſſe eſt retineri particulas Excluſiuas, Gratis, Sola Fide, ſine operibus Legis?

Propter

Propter quinque causas.

I. Quia non est aliud mediũ, quo promissionem Gratiæ, & Christum agnoscere & apprehendere possumus, nisi sola fides.

II. Vt Christo debitus & proprius honos tribuatur, videlicet. Quòd ipsius obedientia sola sit meritum remissionis peccatorum, iusticiæ, & vitæ æternæ nobis donandæ, & quòd nostra opera non sint meritum, propter quod recipiamur.

III. Vt conscientiæ habeant certam & firmam cõsolationem, nititur promissio gratiæ solo Filio Dei, & non nostris meritis, ideo dicitur: Sola fide, vt cor certò statuat Deum nobis propicium esse propter Christum. Hanc causam Paulus Rom. 4. recitat: Ideo ex fide GRATIS, vt sit firma promissio.

IIII. Vt illustrius sit discrimen Legis & Euangelij.

V. Vt vera inuocatio præstari possit, quam necesse est niti solo mediatore Filio Dei, non nostris virtutibus.

Iustificátne sola Fides tantùm ratione principij, vt loquuntur, deinde verò post primam conuersionem, seu iustificationem statuendum est nos partim fide, partim propter nostra opera, seu propter fidem, Spem, & Caritatem coniunctim, iustos esse, & Deo placere.

In principio, medio, & fine, semper statuendum est: Nos propter solum Christum Mediatorem fide iustos esse, & Deo placere, & hæredes esse vitæ æternæ, non propter vlla nostra opera aut virtutes, vt prolixè disputat Paulus, Galat. 3. Non in seminibus tanquam in multis, sed tanquam in vno, & in semine tuo, qui est Christus.

Rom. 5. Iustificati fide pacem habemus apud Deum per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem & accessum habemus fide in gratiam hanc, in qua stamus, id est, acceptatione seu imputatione, qua propter filium accepti sumus, etiamsi nondum totam massam peccati perfectè deposuimus,

Abacuc. 2. Iustus fide sua viuet.

Nec potest fides niti duabus rebus: Christo, & nostris operibus: Alioqui prorsus incerta fieret, nec vllam firmam consolationem adferret. Rom. 4. Quia semper manent etiam in sanctis peccata in hac vita, pro quibus orant: Remitte nobis debita nostra. Ideò Christus est sacerdos in æternum pro nobis intercedens, & suam iusticiam nobis applicans, nec est in aliquo alio salus.

Rom. 5. Quantò magis iustificati saluabimur per eum gloriantes in Deo, per Dominum nostrum Iesum Christum, id est, confidentes propter mediatorem, & ipsi hanc gloriam tribuentes, quòd, propter eum & per eum, donemur vita æterna.

Rom. 6. Non estis sub lege, sed sub gratia, id est, quanquam manent reliquiæ peccati, tamen Lex

iam non condemnat vos, sed recepti estis in gratiam, & placetis Deo propter mediatorem.

Iohan. 11. Ego vitam æternam do eis.

Rom. 8. Nulla nunc condemnatio est his, qui in Christo Iesu ambulant.

Rom. 4. Credenti imputatur fides sine operib. Col. 2. In illo cōsummati estis. Quasi dicat, nō in vestra mundicie. Rom. 6. Donum Dei est vita æterna.

Quod est discrimen inter doctrinam Euangelij in articulo Iustificationis, & falsam Papistarum doctrinam?

Tria sunt præcipua discrimina.

I. Papistæ docent hominem mereri remißionem peccatorum, & esse iustum, non propter solùm Christum sola fide, sed etiam bonis operibus, seu proprijs virtutibus congruentibus cum Lege Dei. Item operibus Monasticis, Mißis, Ieiunijs.

II. Cùm nemo sciat an satis habeat bonorum operum, docent semper dubitandum esse, an habeamus remißionem peccatorum, & an simus in gratia.

III. Docent hominem in hac vita posse Legi Dei satisfacere, & hac legis impletione iustum esse, & vitam æternam mereri.

E contra Euangelion docet:

I. Remißionem peccatorum donari Gratis, propter solum Christum mediatorem, non propter nostra opera aut merita.

II. Non esse manendum in dubitatione, sed omnes qui in delictis contra conscientiam, seu sine fide in Christum viuunt, debere certò statuere, se Deo displicere, & reos esse iræ Dei & æternarum pœnarum, nisi ad Deum conuertantur. Econtrà omnes, qui sentiunt pauores iræ Dei, & cupiunt conuerti ad Deum, & se emendare, debere certò statuere, sibi remitti peccata, se in gratia esse, & Deo placere propter Christum mediatorem, vt expreßè dicitur in Symbolo: Credo remißionem peccatorum.

III. Hominem non posse in hac vita Legi Dei satisfacere, vt Rom. 7. & 8. clarè dicitur: sed iusticiam & vitam æternam donari credentibus GRATIS, propter Christum.

Quod est discrimen inter Iustificationem, Regenerationem, & Renouationem?

Iustificatio, est remissio peccatorum seu absolutio à peccato & æterna morte, & reconciliatio cum Deo, qua persona coram Deo iusta seu Deo placens, & accepta, & vitæ æternæ hæres est, propter Christum mediatorem.

REGENERATIO, est actio Spiritus sancti, qua per verbum Dei viuentis & baptismum, ex filio iræ & mortis generat filium Dei, & hæredem vitæ æternæ.

Reuo-

Renouatio, est actio Spiritus sancti, qua in iustificato habitans, veterem hominem seu peccatum, *in mente caliginem, & dubitationes de Deo, in voluntate vacuitatem timoris & amoris Dei, & omnes prauas inclinationes: in corde, incendia seu furias affectuum vitiosorum* expurgare & abolere incipit, & nouum hominem seu Dei imaginem, per peccatum amissam, restituit & renouat, *accendens in mente lucem veræ noticiæ Dei, in voluntate & corde nouam iusticiam, & lætam obedientiam erga omnia mandata Dei, & relatam ad hunc finem, vt Deus celebretur.*

Ex his Definitionibus apparet, Regenerationem, *etsi natura peccato mortua viuificationem & renouationem propriè significat: tamen remissionem peccatorum sæpe simul complecti,* & velut totum esse, complectẽs duas partes, Iustificationem & Renouationem naturæ per Spiritum sanctum, quæ fons est Nouæ obedientiæ & operum bonorum.

Quomodo fit Regeneratio hominis?

Omnes homines carnali generatione nascuntur polluti peccato: & filij iræ ac æternæ damnationis. Vt igitur Filij Dei hoc est, Deo placentes & hæredes vitæ æternæ fiant, necesse est eos ex Deo renasci, seu per verbum & Spiritum sanctum regenerari,

rari. Regenerantur autem, cum in vera conuersione propter Filium Dei remißionem peccatorum, in Euangelio promissam fide accipiunt, & Deo reconciliati in locum filiorum & hæredum regni cœlestis adoptantur, & donantur Spiritu sancto, qui reliquias peccati nobiscum nati, paulatim expurgat & nouam lucem & iusticiam, ac vitam in cordibus credentium accendit.

SEXTVS LOCVS.

DE NOVA OBEDIENTIA, SEV,

BONIS OPERIBVS RENATORVM.

Quid est noua obedientia?

NOua Obedientia, est prælucēte vera agnitione Christi & fide, vitare omnia delicta Deo displicentia: & non solùm externis actionibus, sed etiam voluntatis & cordis affectibus obedire præceptis Dei, hoc fine, vt Deus honore afficiatur, hoc est, vt testemur hunc verè esse Deum, cui obedientiam præstamus.

Sunt autem ferè Synonyma vocabula: Noua obedientia, Cultus Dei, Bona opera, Vir-

ra, Virtus, Bonum propositum, Bona Conscientia, Sacrificium laudis, Iusticia inhærens, Inchoata obedientia, Mortificatio actionum carnis, &c.

Quid sunt bona opera?

BONA OPERA, seu CVLTVS Dei, sunt à Deo mandatæ actiones mentis, voluntatis, cordis, & externorum membrorum, excitatæ per Spiritum sanctum, & factæ in fide, hoc fine, vt Deo obedientia & honos præstetur.

VIRTVS, est obedientia erga Deum iuxta ipsius verbum.

Bonum propositum seu προαίρεσις, est firmum decretum seu constans & perpetua voluntas non amplius consultò & spontè peccandi, sed libenter & promtè Deo obediendi.

BONA CONSCIENTIA, est noticia Legis Dei, & iudicium in mentibus nostris, quo rectè facta, hoc est, cum Lege Dei congruentia approbamus, & nos rectè fecisse, & propositum non delinquendi consultò & spontè aduersus Legem Dei, habere scimus, quàm scientiam ordine diuinitùs sancito sequitur tranquillitas cordis, & spes auxilij & prote-

protectionis diuinæ. 1. Timoth. 1. Milita bonam militiam, retinens fidem & bonam conſcientiam. 1. Petr. 3. Conſcientiam habentes bonam.

SACRIFICIVM LAVDIS ſeu Eucharisticum, est opus à Deo mandatum, quod fit in nobis prælucente fide in Christum, & refertur ad hunc finem, vt Deus honore afficiatur, hoc est, vt testemur, hunc verè esse Deum, quem sic colimus. nec est precium pro peccato, nec meretur facienti vel alijs remißionem peccatorum: sed est testificatio, quòd sit Deus, & testimonium obedientiæ, seu gratiarum actionis. Talia sacrificia sunt omnia bona opera & afflictiones piorum. 1. Petr. 2. Psal 50. Psal. 51. Psal. 107. Psal. 116. Rom. 12. Rom. 15.

Estne noua obedientia in renatis necessaria?

Ideò gratuita Dei miſericordia nobis remittitur peccatum, & per baptiſmum in nobis ſubmergi & mortificari cœpit, & donati ſumus Spiritu ſancto, vt deinceps non amplius peccemus, ſed in nouitate vitæ, hoc eſt, noua luce & iuſticia & obedientia erga omnia mandata Dei viuamus. Rom. 6. 7. 8.

Deinde ordo ſapientiæ & iuſticiæ diuinæ æternus & immutabilis, eſt, vt Homines à Deo creati, & per Filium Dei redemti,

demti, Deo obediant, & peccata cum voluntate Dei pugnantia vitent, Rom. 8. Debitores sumus. Ephes. 2. Ipsius opus sumus, conditi ad bona opera.

Tertiò. Mandata Dei seuerissima vbique repetuntur. *Iohan. 9. Noli amplius peccare. Ioh. 15. Hoc est mandatum meum, vt diligatis vos inuicem. Rom. 6. Non regnet peccatū in mortali corpore vestro, vt obediatis illis in concupiscentijs eius, sed præbete membra vestra organa Iusticiæ Deo. Item, Liberati estis à peccato, & serui facti iusticiæ, Coloss. 3. Ephes. 4. 5. 6. 1. Timoth. 1. Milita bonam militiam, retinens fidem & bonam conscientiam. 1. Thess. 4. Hæc est voluntas Dei, &c.*

Plures causas postea in loco finium recitabimus.

Quæ sunt species bonorum operum seu partes nouæ obedientiæ?

Species bonorum operum, seu Cultuum DEI iuxta seriem præceptorum Decalogi commodissimè distribui possunt.

Vera agnitio Dei iuxta Euangelion, verus Timor Dei, vera fiducia misericordiæ promissæ propter Christum mediatorem, Dilectio Dei, Spes vitæ æternæ, Patientia, Humilitas, Inuocatio Dei facta in spiritu & veritate.

Iusti-

Iusticia vniuersalis, obedientia ergà leges & Magistratus, Pietas erga parentes, Iusticia particularis, Beneficentia, Misericordia, Castitas, Veritas, Sedulitas, diligenter & fideliter faciens suæ vocationis officia, &c. vt suprà in loco de Lege catalogum virtutum adiunctis definitionibus recensuimus.

Quod est discrimen inter virtutes seu bona opera Ethnicorum Christianorum?

Quatuor sunt discrimina.

Primùm. Multa sunt propria Christianorum virtutes Ethnicis ignotæ, vt Fides Christiana fiducia misericordiæ seu gratiæ Dei, propter Christum promissæ, vera inuocatio Dei, Spes vitæ æternæ, &c. Cætera in prima Decalogi Tabula expositæ, quarum ne quidem mentionem faciunt Cicero in Officijs, & Aristoteles in Ethicis, ex professo virtutum doctrinam explicantes.

Deinde causis efficientibus differunt. Nam virtutes renatorum, nō solis humanis seu liberi arbitrij viribus efficiuntur, vt Ethnicæ: sed à Spiritu Dei sancto per verbum accenduntur & consummantur.

Tertiò, causa formali. Bona opera Christianorum sunt veri & serij motus cordis per Spiritum sanctum accensi, quibus vera agnitio Christi &

Fides

Fides, sine qua impoßibile est Deo placere, præluceat. Bona opera seu virtutes Ethnicæ, sunt tantùm externi gestus, seu gubernatio locomotiua, sine spirituali motu cordis & sine fide.

Quartò, causis finalibus. Nam Christiani bona opera faciunt, & Deo obediunt, vt Dei gloriam illustrent. 1. Cor. 10. Matth. 5. Ethnici, & horum similes, Pharisæi & Hypocritæ, ostentatione vel aucupio gloriæ popularis, aut potentiæ, & metu infamiæ & pœnarum, virtutis officia colunt. Matth. 6.

Qui sunt gradus bonorum operum seu cultuum Dei?

Tres sunt gradus præcipui.

Primus & summus gradus, & velut Anima & vita reliquorum bonorum, est verus Timor Dei, & Fides in Christum, ac obedientia cordis interior, *quam Deus in primo præcepto flagitat, quam vnico veræ pietatis nomine vulgò appellare solemus.*

Secundus, sunt externa honesta opera moralia, *quæ in secunda Decalogi Tabula præcipiuntur, seu officia iustitiæ & dilectionis erga proximum.*

Tertius gradus, sunt Ceremoniæ & sacrificia, *quæ non placent Deo, nec sunt cultus Dei per sese, nisi præluceat verus Timor Dei, & Fides, ac obedientia moralis.*

Quæ sunt causæ efficientes, seu quomodo fieri possunt bona opera?

Tres sunt causæ.

I. Verbum Dei, docens quæ opera Deo placeant, & Fides in Christum, Ezech. 20. Deut. 12.

II. Spiritus sanctus accendens in mentem lucem veræ agnitionis Dei & veræ fidei, & cogitationem præcetorum diuinorũ. Deinde impellens & adiuuans voluntatem, vt obtemperet præceptis diuinis, & iuxta ea regat actiones externorum membrorum. Gal. 5. Fructus spiritus sunt Fides, dilectio, &c. Rom. 8. Qui spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei.

III. Mens & voluntas humana renata per Spiritum sanctum, non repugnans Spiritui sancto, & agnita sua imbecillitate petens à Deo auxilium & gubernationem: & cordis ac externorum membrorum actiones regens, vt congruant cum voluntate Dei.

Quæ est causa Formalis, seu quomodo placent Deo bona opera?

Opera fiunt bona, & Deo placentia per fidem in Christum. Id his quatuor articulis declarandum est.

I. Per

I. Persona, quæ facit bona opera, statuat se iustum esse, & Deo placere GRATIS, propter CHRISTVM, fide. Ebr. 11. Abel obtulit vberiorem hostiā Deo.

II. Agnoscat & deploret multiplicia peccata adhuc in nobis hærentia, *vt caliginem de Deo, dubitationes, prauas inclinationes, securitatem, superbiam, quò minus LEGI DEI poßimus satisfacere. Rom. 7.*

III. Et tamen statuat Dei voluntatem æternam & immotam esse, vt ei in bonis operibus seruiamus, *& nouam obedientiam cum ipsius lege congruentem inchoemus. Rom. 8. Debitores sumus.*

IIII. Sciat hanc inchoatam obedientiam placere Deo, non propter propriam dignitatem, sed propter Christum mediatorem, vt 1. Pet. 2. dicitur: Offerte hostias spirituales, acceptas Deo per Christum. Ebr. 13.

Quæ sunt causæ finales? seu cur facienda sunt bona opera?

Nequaquam eo fine facienda sunt bona opera, vt mereamur remissionem peccatorum, iusticiam, & salutem æternam. Nam hæc bona propter solius Filij Dei meritum, credentibus GRATIS dantur.

Sed alij sunt verè fines:

I. Gloria Dei. *1. Cor. 10. Omnia ad gloriam Dei facite. Matth. 5. Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant vestra bona opera, & glorificetur Pater vester cœlestis.*

II. Vt debitam obedientiam & honorem Deo præstemus. *Nam ordo iusticiæ diuinæ immutabilis est, vt creatura rationalis Deo obtemperet. Rom. 8. Debitores sumus, &c.*

III. Vt bona opera sint fructus iusticiæ, & testimonia nostræ fidei & conuersionis ad Deum. 1. Petri 1.

IIII. Vt proximo, officijs iusticiæ, dilectionis, beneficentiæ, misericordiæ, &c. seruiamus & prosimus, *Tit. 3. Discant & nostri bonis operibus praeesse ad necessarios vsus, ne sint infrugiferi.*

V. Vt bonis nostris operibus impios ad veram pœnitentiam, timorem Dei, fidem, &c. inuitemus. *1. Pet. 3. Vt qui non obtemperant verbo, per eorum conuersationem sine verbo lucrifiant.*

VI. Vt retineamus gratiam Dei, Spiritum sanctum, & hæreditatem regni cœlorum. Nam hæc bona per mala opera seu peccata contra conscientiam perduntur. *1. Cor. 6. Nec scortatores nec adulteri, &c. regnum Dei possidebunt. Rom. 8. Si secundum carnem vixeritis, moriemini.*

VII. Vt

VII. Vt pœnæ præſentes & æternæ vitentur. *Nam mala opera Deus regulariter etiam in hac vita punit. Iob. 9. Verebar omnia opera mea, ſciens Domine, quòd non parcis delinquenti.*

VIII. Vt conſequamur præmia ſpiritualia, & corporalia, præſentia & æterna. 1. Tim. 4. Pietas promiſsiones habet præſentis & æternæ vitæ.

SEPTIMVS LOCVS.

DE SACRAMENTIS.

Quid eſt Sacramentum?

SACRAMENTVM, eſt actio ſacra, à Deo inſtituta, conſtans verbo & adminiſtratione elementi integri, & addita promiſsioni, quæ eſt Euangelij propria, vt promiſsionem gratiæ ſingulis applicet, & fidem in viuentibus obſignet & confirmet.

Quot ſunt Sacramenta Noui Teſtamenti?

Duo. Baptiſmus & Cœna Domini.

Quid eſt Baptiſmus?

BAPTISMVS, eſt actio ſacra, à Deo inſtituta, continens merſionem hominis in aquam, & integram pronunciationem verborum: Ego Baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, quæ teſtatur baptizatum à Deo recipi, & donari Spiritu ſancto, & acceptari ad hæreditatem vitæ æternæ.

Quæ eſt ſententia verborum; Ego baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti?

Ego (inquit miniſter) mergo ſiue abluo te aqua, & inuoco ſuper te verum Deum, qui eſt æternus Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, & Filius ipſi coæternus, & Spiritus ſanctus, & teſtificor, te ab hoc vero Deo recipi, & tibi peccata remitti, propter Chriſtum, qui abluit te hoc baptiſmo, vt teſtetur tua peccata ipſius ſanguine abluta eſſe, & ſanctificat te Spiritu ſuo ad iuſticiam & vitam æternam. Quare tu viciſsim hunc vnum Deum agnoſces, inuocabis, & celebrabis.

Sunt ne infantes Baptizandi?

Sunt baptizandi. Quia ad ipſos pertinet promiſsio ſalutis: Talium eſt regnum

cœlo-

cœlorum. Non est autem salus extra Ecclesiam, Iohan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnum DEI. Ergò necesse est infantes per baptismū regenerari & inseri Ecclesiæ. Est autem Christus efficax in infantibus per baptismum, & operatur in eis fidem, & alios motus pro ipsorum modo.

DE COENA DOMINI.

Quid est Cœna Domini?

SAcramentum altaris, est verum corpus & verus sanguis domini nostri Iesu Christi, sub pane & vino nobis Christianis ad comedendum & bibendum à Christo ipso institutum, vel:

COENA DOMINI, est actio sacra, à filio Dei instituta, in qua sumpto pane & vino, sumitur verum corpus & verus sanguis Domini nostri Iesu Christi, vt hoc pignore accipientes commonefacti de promissione Euangelij propria fidem confirment & obsignent.

Ad quid instituta est Cœna Domini?

Primus & principalis finis est Confirmatio fidei in conuersis. Nam Sacramenta seu signa visibilia, ideo addita sunt promissioni remissionis peccatorum, iusticiæ & vitæ æternæ, vt nos commonefaciant de promissione, & sint testimonia seu sigilla promissionis, vt singuli promissionem sibi applicent per fidem in vero vsu sacramenti.

II. Κοινωνία & vnio cum Christo arctissima.

III. Gratiarum actio pro omnibus beneficijs Christi.

IIII. Est symbolum seu nota confessionis & doctrinæ.

V. Est neruus publici ministerij.

VI. Cõmonefacit de mutua dilectione.

Pueri veteres versiculos meminerint:

Inflammat, meminit, sustentat, roborat, auget
Cœna, spem purgat, reficit, vitam dat. & vnit,
Confirmatq́ fidem, minuit fomitemq́, remittit.

Qui sunt præcipui abusus Cœnæ Domini apud Papistas?

Primùm mutilant sacramentum, & alteram speciem laicis adimunt contra expressa verba institutionis Christi.

Secundò. Fingunt se ipso opere consequi remis-

ſionem peccatorum, ſeu, Sacramenta noua legis gratiam non ponentibus obicem.

Tertiò: Mutant Sacramenta in alios vſus diuerſos ab inſtitutione, vt ad circumgeſtationem & adorationem: cùm tamen nulla res extra vſum à Deo ordinatum, ſit Sacramentum.

Quartò: Transformant Cœnam Domini in ſacrificium, quo fingunt ſe mereri remiſsionem peccatorum ſibi & alijs ex opere operato. Contra firmiſſimè ſtatuendum eſt, Chriſtum vno ſacrificio in ara crucis facto meruiſſe toti Eccleſiæ remiſsionem peccatorum, quæ ſola fide accipiatur.

Quintò: Transferunt Cœnam Domini ad mortuos ex purgatorio liberandos.

Sextò: Aliqui nunc diſputant, Miſſam eſſe applicationem ſacrificij Chriſti: quam tamen ſciendū eſt, fieri propria fide, non propter opus alienum. Ex his erroribus diſcrimen inter Miſſam Papiſticam & noſtrarum Eccleſiarum facilè intelligi poteſt.

Quid eſt Sacrificium?

SACRIFICIVM in genere eſt ceremonia vel opus noſtrum, quo Deo tribuimus honorem proprium diuinitatis, ſeu quo teſtamur hunc verum eſſe Deum, quem ſic colimus.

Quæ ſunt ſpecies Sacrificiorum?

5 genera sacrificij.
brandopfer
danckopfer
oblatio ... speisopfer
sacrificium pro peccato ... sündtopfer
... schuldtopfer

Alia sunt Typica seu imagines: Alia sunt non vmbræ sed res, & hæc sunt duplicia: Vnum Propiciatorium: Alia sunt ΕΥΧΑΡΙΣΤΙΚΑ.

Quid est propitiatorium sacrificium?

Est opus quod placat iram Dei aduersus peccatum, & reddit Deum propicium, & meretur alijs remissionem peccatorum, iusticiam, & vitam æternam. Tale est vnicum sacrificiũ Christi, *videlicet vniuersa obedientia Christi, in tota vita, in omnibus actionibus, doloribus & morte.*

Quid est Sacerdos?

SACERDOS, in genere est Persona à Deo ordinata, vt doceat Euangelion, & oret pro alijs, habens promissionẽ, quod exaudiatur, & offerat sacrificia, quæ Deus instituit.

Quid est summus Sacerdos?

SVMMVS SACERDOS seu CHRISTVS, est persona immediatè à Deo vocata & vncta plenitudine Spiritus sancti, vt Euangelium proferat ex arcano sinu æterni Patris, & deprecetur pro nobis, habens promissionem, quòd certò proaudiatur, & offerat Sacrificium, videlicet seipsum,

se ipsum, quo sacrificio meretur toti Ecclesiæ remißsionem peccatorum, iusticiam & vitam æternam.

Quid est εὐχαριστικὸν Sacrificium?

Definitio suprà in loco de bonis operibus recitata est.

OCTAVVS LOCVS.

DE POENITENTIA.

QVi est repetitio, & applicatio, seu praxis doctrinæ de Peccato, Lege, & ira Dei aduersus peccatum: de remißione peccatorum propter Christum gratis in Euangelio credentibus promissa, sacramentis obsignata, & Fide amplectenda. & de Fructibus fidei, seu bonis operibus. Hos locos, qui summam Euangelij continent, & in tota doctrina Christiana præcipui sunt, ad vsum transferre, & singuli nobis pœnitentiam applicare debemus.

Quid est Pœnitentia?

POENITENTIA seu CONVERSIO ad DEVM, est Contritio, Fides & noua Obedientia, seu est seriò expauescere agnitione iræ Dei aduersus sua peccata, & dolere ob admissa peccata, & fide confugere ad misericordiam Dei propter CHRISTVM promissam, & cer-

& certò ſtatuere, ſibi propter Chriſtum peccata verè remitti: & prælucente hac fide, deinceps non amplius contra conſcientiam peccare, ſed omnia vitæ conſilia & actiones ita regere, vt cum voluntate & verbo Dei congruant.

Quæ ſunt partes Pœnitentiæ ſeu Conuerſionis ad Deum?

Tres ſunt.

CONTRITIO, eſt ſeriò expaueſcere conſpectu iræ Dei aduerſus peccata per legem agnita, & dolere quòd Deum offenderimus.

FIDES, agnoſcit placatam eſſe iram Dei aduerſus noſtra peccata, propter Chriſtum pro nobis paſſum, mortuum & reſuſcitatum, & certè ſtatuens ſibi remitti peccata, & ſe placere Deo propter Chriſtum.

III. NOVA OBEDIENTIA, eſt prælucente fide in Chriſtum obedire Deo iuxta omnia ipſius mandata, hoc fine, vt Deus honore afficiatur & celebretur.

Quæ cauſæ ſunt, quibus ad pœnitentiam ſeriò agendam ſinguli exuſcitari & impelli debent?

I. Man-

I. Mandatum Dei seuerissimum. *Matth. 3. 4. Agite pœnitentiam. Iohel. 2. Conuertimini ad me. Ezech. 20. 36. Displicebitis vobis.*

II. Æterna salus, agentibus pœnitentiam & Euangelio credentibus promissa.

III. Iuramentum Dei: Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat.

IIII. Peccata multiplicia, in mente, voluntate, & corde etiam renatorum & sanctorum hærentia, quibus assidua pœnitentia & mortificatione opus est, vt omnes sancti quotidiè orant: Remitte nobis peccata nostra. Psal. 32.

V. Calamitates priuatæ & publicæ, Mors horribilis, quæ totum genus humanum deuorat, & omnibus momentis impendet, morbi, bella, incendia, fames, excidia vrbium & gentium, &c. quæ sunt assiduæ conciones de peccatis seriò agenda.

VI. Mors filij Dei, quæ omnium maximè illustre testimonium est horrendæ iræ Dei aduersus peccatum, quæ nulla ratione alia placari potuit.

VII. Aduentus filij Dei ad iudicium singulis horis expectandum.

VIII. Æterna damnatio omnibus, non in hac vita ad Deum conuersis, proposita. Luc.

ta. *Luc. 13. Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis. Rom. 2. Impœnitenti corde cumulas tibiipsi iram in die iræ & manifestationis iusti iudicij Dei, &c.*

Quæ sunt causæ efficientes Contritionem, seu Pœnitentiam de peccato, quæ toto tempore vitæ Fidelium, quotidiè exercenda est?

Quatuor sunt præcipuæ.

I. Lex Dei, docens quid & quantum malum sit peccatum in nobis hærens, & denuncians horrēdam iram Dei, & æternas pœnas omnibus peccatis pollutis. *Rom. 3. Peccatum non cognoui, nisi per legem. Gal. 3. Maledictus omnis, qui non permanet in omnibus, quæ scripta sunt in lege.*

II. Spiritus sanctus per prædicationem Legis accendens in mente agnitionem peccati & iræ Dei, & incutiens voluntati & cordi serios dolores, propter admissa peccata. *Iohan. 16. Spiritus sanctus arguet mundum de peccato. Iere. 13. Postquā conuertisti me Domine, egi pœnitentiā, confusus sum et erubui. Thren. 5. Conuerte me Domine, & conuertar.*

III. Omnes hominum calamitates, mors, morbi, bella, &c. quæ sunt in mundo perpetuæ conciones pœnitentiæ.

Ose.

Ose.5.6. In tribulatione sua manè consurgent ad me, & dicent: Venite, reuertamur ad Dominum, quia ipse inflixit nobis vulnus, & sanabit nos.

Thren. 3. Humiliauit nos Dominus & abiecit nos, vt reuertamur ad Dominum.

Aggæi. 2. Percussi vos sterilitate & grandine, & non fuit in vobis qui reuerteretur ad me.

IIII. Mens & voluntas hominis conuersa per Spiritum sanctum considerans legem Dei & propriam immundiciem, & sentiens veros dolores de admissis peccatis, neq; ea repetens.

Quod est discrimen inter pœnitentiam seu contritionem Iudæ & Petri?

Contritio Iudæ, Cain, & similium, est Timor seruilis, videlicet pauor & fuga & fremitus aduersus Deum, sine fide ad Christum mediatorem confugiente.

Contritio Petri, Dauidis, Psal. 51. 38. 130. & omnium piorum toto vitæ tempore, est Timor filialis, coniunctus cum fide petente à Deo, & firma fiducia amplectente remissionem peccatorum, propter Christum promissam.

Quid est confeßio?

CONFESSIO PECCATI, est pars

pars Contritionis, qua coram Deo peccata nostra agnoscimus, & ex animo deploramus, & nos reos esse iræ Dei & æternæ damnationis propter peccatum confitemur, ac verè dolemus, nos Deum offendisse, & petimus veniam ac remissionem peccatorum propter Christum.

Hæc confessio in omni conuersione ad Deum & quotidiana inuocatione necessaria est. *Psal. 32.* *Dixi, confitebor aduersus me iniustitiam meam Domino. Dan. 9. Peccauimus, impiè egimus, &c. Psal. 51. Quia iniquitatem meam ego agnosco.*

Quotuplex est Confessio peccati?

Alia est publica, quæ fit vel à tota Ecclesia in publicis calamitatibus & periculis: vel in publico cœtu Ecclesiæ à singulis, qui rei enormium delictorum, quæ alijs nota sunt, coram presbytero, & tota Ecclesia fatentur delicta, & veniam à Deo & Ecclesia petunt. Hi olim certis pœnis, vt pullati, nudis pedibus, ante fores templi vel alibi certis diebus consisterent, &c. ante absolutionem castigari solebant, quas pœnas Græci ἐπιτίμια, Satisfactiones nominarunt, non quòd pro peccatis satisfacerent, aut remissionem culpæ & pœnæ æternæ mererentur, sicut posteà finxerunt, sed explorabantur lapsi, an serio resipiscerent, & exemplum pœnæ delictorum alijs

aliȷs proponebatur, quo à similibus lapsibus deterrerentur.

Ab hoc veteri ritu, qui Absolutionem praecedebat, nomen satisfactionis, & enumeratio delictorum in confessione orta est. Et hanc Publicam pœnitentiam nominabant, de qua pleriq; Canones veteres loquuntur, quos ad priuatam confessionem & satisfactiones post absolutionem, Monachi & inepti iuris Canonici interpretes postea detorserunt.

Alia est confessio priuata seu arcana, vel coram solo Deo, quam paulò antè definiuimus, & sine qua peccatum non remittitur, vel coram ministro Ecclesiæ aut sacerdote: quæ est aut specialis enumeratio singulorum peccatorum nusquam à Christo mandata: aut Generalis confessio, qua coram Deo & ministro Ecclesiæ expressa voce profitemur, nos esse peccatores, reos iræ Dei & æternæ damnationis, & dolere vero corde, quòd Deum offenderimus, & petere vocem absolutionis nobis à ministro Christi annunciari.

Quid est Absolutio?

ABSOLVTIO, est annunciatio remissionis peccatorum, qua minister Euangelij in nomine Christi peccatorem, agentem pœnitentiam, & petentem veniam, à peccato, ira Dei & æterna condemnatione in cœlo solutum & liberum esse testatur.

Quid est Excommunicatio?

EXCOMMVNICATIO, est denunciatio iræ Dei & æternæ damnationis, qua minister Euangelij in nomine Christi peccatores notorios, seruato legitimo processu, pronunciat reos esse iræ Dei ac æternæ damnationis, eosq; nominatim ex societate Ecclesiæ excludit, & Satanæ tradit ad interitum carnis, vt Spiritus saluus fiat, Matth. 18. 1. Cor. 5. 6. 1. Tim. 5.

Quid sunt Claues?

CLAVES REGNI COELORVM, sunt potestas seu ministerium soluendi & ligandi, seu remittendi & retinendi peccata, institutum à Christo & traditum Ecclesiæ, quo minister Ecclesiæ per vocem Euangelij remissionem peccatorum, donationem Spiritus sancti & vitæ æternæ, multis & singulis agentibus pœnitentiam, & petentibus veniam, in nomine Christi annunciat, & securos ac contumaciter in peccatis perseuerantes ligat & excommunicat.

Propter quas causas priuatam Absolutionem in Ecclesijs retineri prodest?

Propter multas grauiss. causas.

I. *Vt sit testimonium articuli de gratuita remissione peccatorum propter Christum donanda, quem Ethnici & Papistæ, docentes pro peccatis satisfaciendum esse nostris operibus, & Nouatiani negantes veniam lapsis post baptismum, corrumpunt.*

II. *Vt rudiores petentes absolutionem, in eo colloquio cum sacerdote, de multis maximis rebus, quarum consideratio in vera conuersione necessaria est, de suis peccatis, de Lege Dei, de promißione gratiæ, de fide, de noua obedientia, &c. commonefiant aut erudiantur, vt pœnitentiam veram exuscitent & augeant.*

III. *Quia semper in Ecclesia vsitatum fuit, etsi recitatio singulorum omitteretur, tamen in genere, etiam ore fateri sua peccata, & se reum esse, & dolere, quòd Deum & Ecclesiam offenderint, vt de auditoribus Iohannis, & Nehemiæ, & Dan. 9. scriptum est.*

IIII. *Ne ignoti aut impij derisores, aut perseuerantes in manifestis delictis, ad communionem admittantur, contra præceptum: Nolite sanctum dare canibus.*

V. Propter disciplinam, ne polluti manifestis criminibus, sine præcedente confessione & reconciliatione cum Ecclesia offensa, recipiantur.

VI. Vt testimonium suæ contritionis & fidei seu pœnitentiæ veræ, coram ministro Ecclesiæ, tanquam vices Christi gerente, singuli cum vera humilitate edant, vt Dauid coram Propheta Nathan inquit: Peccaui Domino. Contrà, Saul non vult fateri peccatum, sed honorari coram populo.

VII. Vt refutentur fanatici, negantes, Hominem posse remittere peccata, cùm Deus per ministerium hominum efficax sit, & Remissionem peccati, quæ fit per ministros verbi, ratam & diuinam haberi velit, sicut dicit, Matth. 9. Filius Dei dedit potestatem hominibus super terram remittendi peccata. Matth. 16. 18. Tibi dabo claues regni cœlorum, quæcunque peccata solueris super terram erunt soluta in cœlo. Ioh. 20. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.

VIII. Et principalis: Quia in priuata absolutione fit applicatio vniuersalis promissionis Gratiæ ad vnumquemlibet seorsim, ita, vt quilibet absolutus, certò statuere possit & debeat, certò iam sibijpsi peccata remissa esse à Christo, quia per ministrum ipsi, non secus ac paralytico illi, absolutionem sua voce pronunciauerit, Matth. 9. Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.

Quæ est altera pars conuersionis ad Deum?

FIDES certò & indubitatè credens Absolutioni, seu voci Euangelij, remissionem peccatorum propter Christum omnibus & singulis credentibus promittenti, siue in lectione aut côcione Euangelij omnibus simul, siue per ministrum Euangelij seorsim annuncietur.

Quid est Fides?

Definitiones fidei & Nouæ obedientiæ, suprà in locis de remißione peccatorum, & Bonis operibus recitatæ, hoc loco repetantur.

Qui sunt præcipui Errores & corruptelæ doctrinæ de Pœnitentia?

Primùm & præcipuè taxanda est horrẽda securitas & impœnitentia maximæ partis hominum, quæ sine vllo dolore de peccatis, & sine vllo metu iræ & iudicij diuini omnibus peccatis frenos laxat, aut sua sanctitate & operibus secura confidit.

II. Nouatiani negant lapsos post baptismum per pœnitentiam ad Deum conuerti, & veniam consequi posse, contra expressa testimonia. Luc. 15, Matth. 18. 1. Ioh. 2. Iohel. 2. Apocal. 2. et exempla primorum parentum Gen. 3. Aaronis Exod. 32.

Danidis 2.Reg. 11. 12.Petri Luc. 22.& Galat. 2. Incesti. 1.Cor. 5. 2.Cor. 2. 7.

III. *Papistæ docent, contritionem mereri remissionem peccatorum: Quod toti doctrinæ de Christo, qui solus est agnus Dei, tollens peccata mundi, repugnat.*

Docent contritionem oportere sufficientem esse, cùm certum sit, nullos dolores vllius creaturæ, quantumuis magnos, pares esse iræ Dei, nec posse compensare peccata.

Docent enumerationem omnium delictorum, etiam arcanorum, & simul circumstantiarum omnium, necessariam esse, nec remitti peccata non indicata in confessione: cùm tamen nusquam in Euangelio præcepta sit omnium enumeratio, & prorsus impossibilis sit, sicut dicitur: Delicta quis intelligit. Ab occultis meis munda me.

Prorsus nihil dicunt de fide (quæ est fiducia misericordiæ propter Christum promissæ) in doctrina pœnitentiæ: & pertinacissimè negant opus esse hac fide, qua tibi ipsi certò credas remitti peccata propter Christum. Et quia nemo scit, an contritio fuerit sufficiens, docent semper dubitandum esse, an remissa sint nobis peccata, & an simus in gratia Dei. Quæ dubitatio cum tota doctrina Euangelij pugnat, & Deum mendacij arguit.

Docent satisfaciendum esse pro peccatis operibus indebitis, seu non mandatis lege Dei: vnde efficitur, homines proprijs operibus pro peccatis satisfacere,

facere, & posse implere legem Dei, imò plura & meliora posse facere, quàm Lex Dei præcipit. At tota Euangelij doctrina confirmat, vnicam esse satisfactionem pro peccatis, paßionem & mortem filij Dei pro nobis crucifixi: & de operibus non mandatis hanc vniuersalem Regulam tradit: Frustra colunt me mandatis hominum.

Docent potestate Clauium pœnam peccati æternam conuerti in temporalem purgatorij, vel alias huius vitæ, quas nostris operibus redimi oporteat: cùm culpam & mortem æternam propter solum Christum nobis remitti, & pœnas temporales potestate clauium nec imponi nec tolli, sed nostra pœnitentia mitigari sciamus.

Commentum de purgatorio igne, in quo animæ post mortem crucientur, vel perpurgentur, vel meritis aliorum redimantur, partim ex Gorgia Platonis, partim ex apparitione spectrorum extructum, & superstitione ac quæstu confirmatum, planè Ethnicum est, & blasphemum contra filium Dei, pugnans cum tota doctrina cœlesti, quæ nusquam huius ignis purgatorij mentionem facit, sed contrà docet, omnes in vera fide Christi ex hac vita discedentes, rectà in cœlum migrare, vt ad latronem dicitur: Hodie mecum eris in Paradiso. Item: Beati mortui, qui in Domino moriuntur.

Postremò, Nundinas indulgentiarum, quæ initiò satisfactionum Canonicarum relaxationes fuerũt, postea ad pœnarum purgatorij & culpæ remis-

sionem etiam translata sunt: terras & impias imposturas, & nihil aliud, quàm auaritiæ Romanæ aucupia esse, iam omnes norunt.

NONVS LOCVS.

Credo Ecclesiam sanctam Catholicam, sanctorum communionem.

Quid est Ecclesia?

ECCLESIA seu POPVLVS Dei, sunt homines in Christum credentes, seu rectè Deum agnoscentes & colentes, & hæredes vitæ æternæ propter Christum.

ECCLESIA SANCTA CATHOLICA, est communio sanctorum, seu vniuersalis multitudo omnium piorum hominum, omnibus temporibus & locis viuentium, qui Euangelion Christi amplectuntur, & in Christum credunt, ac propter eum DEO placent, & per Spiritum sanctum reguntur, & sanctificantur ad vitam æternam.

Huius veræ Ecclesiæ membra sunt tantùm pij & sancti, non hypocritæ, aut persecutores, qui nomen Ecclesiæ præ se ferunt.

Cùm

Cùm autem in hac vita semper admixti sint veræ Ecclesiæ aliqui non sancti, traditur vsitatè hæc definitio visibilis Ecclesiæ in hac vita:

ECCLESIA VISIBILIS, *est cœtus hominum amplectentium Euangelium Christi, & rectè vtentium sacramentis, in quo cœtu semper aliqui sunt, qui verè credunt, & à Spiritu sancto reguntur, & hæredes sunt vitæ. Simul tamen in externa consuetudine admixti sunt multi hypocritæ, qui tamen veram Euangelij doctrinam non oppugnant, nec defendunt Idola, vt Matthæi. 22. Boni & mali ad conuiuium nuptiale introducuntur, & Matth. 13. Boni & mali pisces in sagena Ecclesiæ concluduntur.*

Huius visibilis Ecclesiæ VIVA MEMBRA *sunt, in quibus Spiritus sanctus per Euangelion veram agnitionem Dei, veram fidem, veram dilectionem, & cæteras virtutes accendit, quæ in alijs magis, in alijs minùs excitatæ & ardentes sunt.*

MORTVA MEMBRA, *seu Hypocritæ duplices sunt: Alij de doctrina cum pijs in externa professione consentiunt, nec defendunt externa idola, & mores honestè regunt. Sed tamen non renati sunt per Spiritum sanctum, sunt sine vero timore Dei, & sine fide. Hi propriè dicuntur mortua membra.*

Alij sunt palam impij, defendentes manifestos errores & idola, & persecutores veræ Ecclesiæ & piorum. Hi etiamsi titulo Ecclesiæ dominantur: tamen non

men non sunt membra veræ Ecclesiæ, vt tempore nati Christi viua membra Ecclesiæ erant, Maria virgo Zacharias, Elisabeth, Ioseph, Pastores, Simeon, Hanna. Sed principes Sacerdotum & Pharisæi, nomen Ecclesiæ sibi arrogantes, & tamen Christum persequentes, non membra Ecclesiæ, sed ex patre Diabolo erant. Iohan. 8.

Quid est Prædestinatio?

PRAEDESTINATIO, *est æternum decretum mentis diuinæ, quo gratuita bonitate & misericordia propter Filium elegit Ecclesiam æternam seu homines ipsi placentes, & hæredes vitæ æternæ: cuius Ecclesiæ membra sunt singuli, qui Euangelium Christi fide amplectuntur, & in hac vita vsque ad finem vitæ perseuerant, iuxta dictum: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.*

Quæ sunt notæ monstrantes veram Ecclesiam in terris?

Tres sunt notæ.

I. Pura Euangelij doctrina de CHRISTO. *Iob. 10. Oues meæ vocem meam audiunt. Vbicunque enim non est vera notitia Christi & Euangelij, ibi nulla electorum Ecclesia, seu nulli homines Deo placentes & salutis æternæ hæredes esse iudicantur. Ioh. 3. Qui non credit filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.*

II. Le-

II. Legitimus vſus Sacramentorum. *Marc. 16. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit. 1. Cor. 11. Hoc facite in mei memoriam.*
III. Obedientia debita miniſterio in his, quæ ad miniſterium propriè pertinent.

Quomodo colligitur & regitur Eccleſia in his terris?

Per miniſterium Euangelij, *ſeu verbum Dei auditum, lectum, cogitatum, &c. per quod Chriſtus ipſe efficax eſt, & Spiritu ſuo mentes & corda audientium ad Deum conuertit, & vera agnitione Dei ac fide illuſtrat, conſolatur, regit & ſanctificat ad vitam æternam.*

Rom. 10. Omnis qui credit in Chriſtum ſaluus erit: Quomodo autem credent, de quo non audierunt? Quomodo audient ſine prædicante? Proinde fides ex auditu verbi Dei exiſtit. Pſal. 119. Verbum tuum viuificat me. Pſal. 130. In verbo tuo ſperaui. Act. 11. Loquetur tibi verba per quæ ſaluaberis tu, & domus tua.

Quid eſt miniſterium Euangelij?

MINISTERIVM EVANGELII, eſt officiũ à Deo inſtitutũ, prædicandi in publi-

publico Ecclesię cœtu verborum Dei, Legem & Euangelion de Christo, & legitimè administrandi sacramenta, annunciandi remissionem peccatorum, seu absoluendi agentes pœnitentiam, & excommunicandi contumaces, & ordinandi Ecclesiæ ministros, per quod ministerium Deus verè efficax est, ad salutem omni credenti. *Luc.24. Matth.10.18.28. Rom.10. Ephes.4. 1.Tim.5. 2.Tim.2.*

Quid est Ordinatio?

ORDINATIO *Ministrorum in genere, est ritus, quo coram tota Ecclesia publicum testimonium datur certæ personæ, quòd legitimè vocata & idonea sit ad docendum Euangelion, & administranda sacramenta.*

Quod est discrimen inter Ministerium Euangelij, & potestatem politicam?

Quatuor sunt præcipua discrimina.

Primùm obiectis differunt. Magistratus politicus est custos externæ disciplinæ, & corpora ac fortunas defendit, & punit externa scelera. Ministerium Euangelij versatur circa Animas, nec tantùm

tantùm regit externos mores, sed arguit & sanat corda.

Deinde effectibus seu beneficijs. Per ministerium Euangelij dat Deus æterna bona, remissionem peccatorum, liberationem à morte, & iusticiam ac vitam æternam. Politica potestas externa tantùm, & corporalia bona, pacem, defensionem corporum, &c. impertit.

Tertiò, pœnis. Magistratus coërcet & punit inobedientes vi corporali seu gladio. Ministerium Euangelij solo verbo seu voce Legis, & legitima excommunicatione arguit.

Quartò, Magistratus politicus habet potestatem condendi nouas leges non pugnantes cum naturalibus, quas petulanter violare, est peccatum mortale. Minister Euangelij non habet potestatem condendi noua dogmata, aut nouos articulos fidei & nouos Dei cultus: nec est peccatum violare traditiones Episcoporum extra casum scandali.

Quid est Regnum Christi in his terris?

REGNUM CHRISTI. est gubernatio Christi, sedentis ad dextram Patris, qua

qua per ministerium Euangelij omnibus temporibus mundi, colligit sibi in genere humano & seruat Ecclesiam, seu cœtum hominum, qui ipsum Dominum agnoscunt, in eum credunt, cui cœtui remißsionem peccatorum, & æterna bona impertit, eumq; solo verbo & Spiritu sancto suo, non armis corporalibus gubernat, & oppressum cruce mirabiliter defendit, & tandem ex morte, ad vitam & gloriam æternam resuscitabit.

Ex hac definitione apparet, appellationem REGNI *Christi copulare officium Sacerdotis ac Regis Christi & Ecclesiæ.* Significat enim Regnum Christi in sacris literis plerunq; Ecclesiam, seu cœtum hominum in Christum credentium, Christo Regi subditum & obedientem, *vt cum dicimus, Regnum Christi in hac vita oppressum esse cruce & ærumnis:* aliàs officia Christi Regis, & beneficia omnia, quæ Ecclesiæ impertit, *vt cum dicimus, Regnum Christi esse spirituale, hoc est, Beneficia, quæ Christus per Euangelion Ecclesiæ suæ impertit, non esse pecuniam, opes, potentiam, pacem corporalem, sed Spiritualia & æterna bona, remißionem peccatorum, liberationem à peccato & morte, & lucem, sapientiam, iusticiam, vitam, & gloriam æternam :* aliàs modum collectionis & gubernationis Ecclesiæ *per*

verbum

Verbum & Spiritum sanctum, non arma corporalia: aliàs Regem ipsum Christum & *Deum:* aliàs hæc omnia coniunctim complectitur.

Quod est discrimen inter Regnum Christi, & regna huius mundi?

REGNVM *mundanum seu politicum, est gubernatio, in qua vnus homo seu Rex supremum imperium tenens, certis legibus, iudicijs, & armis corporalibus, multitudinem hominum ipsi subiectam, regit, & honestam ciuium disciplinam, & singulorum corpora ac fortunas, & pacem politicam defendit.*

Etsi autem differentias quatuor inter ministerium Euangelij, per quod Regnum Christi in his terris administratur, & potestatem politicam, seu Regiam, paulò ante recitauimus: tamen plures adiungi possunt.

Primùm enim inter personas Regum summa dißimilitudo est. Nam Rex Christus est verè & natura Deus. Reges mundani tantùm sunt mortales & imbecilli homines.

II. *Differunt modo gubernationis. Regnum Christi est spirituale, hoc est, non præsidijs & armis corporalibus, non gladijs & hastis, sed solo verbo Dei constituitur & gubernatur. Reges politici legibus humanis, & armis ac exercitibus subditos regunt & defendunt.*

III. *Modo*

III. *Modo obedientiæ. Reges politici externorum membrorum obedientiam solummodò flagitant, & externa scelera tantùm puniunt. Rex Christus interiorem cordis iusticiam requirit.*

IIII. *Modo pœnarum. Reges mundani gladio: Ministri Christi solo verbo delicta puniunt.*

V. *Beneficia regni Christi sunt spiritualia & æterna, videlicet remissio peccatorum, liberatio à morte, iusticia & vita æterna. Reges politici non hæc æterna, sed corporalia & momentanea bona, pacem politicam, defensionem, opes & similia suis subditis & amicis impertiunt.*

VI. *Stabilitate. Omnia mundi regna, quantumuis potentia & ampla, intereunt & extinguuntur, & redit in nihilum, quod fuit antè nihil. Christus verò Dominus regnat in monte Zion, ex hoc nunc & vsq; in æternum. Cumq; Rex æternus sit, Ecclesiam quoq; ipsi subditam non interire, sed in omni æternitate cum ipso viuere necesse est.*

Propter quas causas Ecclesia Christi in his terris Cruci subiecta est?

Omnium calamitatum totius generis humani, Ecclesiæ, & impiorum, causæ efficientes & impulsiuæ communes,

Quatuor sunt:

I. Peccatum commune totius generis huma-

humani, quod vult Deus aboleri. Ideò destruit naturam peccatricem morte & alijs calamitatibus.

II. Errores mentis humanæ.

III. Prauæ cupiditates.

IIII. Tyrannis Diaboli impellentis homines ad scelera, vt cumulet calamitates & pœnas.

Fines autem præcipui duo sunt:

I. Vt agnoscant homines Deum esse sapientem & iustum, & veram ac horrendam esse iram Dei aduersus peccatum & iniusticiam.

II. Vt calamitatibus flectantur homines ad timorem Dei, modestiam & frenandas cupiditates, quibus ærumnæ accersuntur.

Sed causæ calamitatum Ecclesiæ peculiares quatuordecim recensentur, quarum quatuor sunt impulsiuæ.

I. Lapsus primorum parentum & peccatum inde in omnes deriuatum.

Rom. 5. Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors. Psal. 106. Consumti sunt propter iniquitates suas. Psal. 107. propter viam flagitiorum suorum & iniquitates suas affliguntur.

II. Immundicies naturæ interior, *videlicet, dubitationes de Deo securitas carnalis, admiratio sui, ἀταξία omnium affectuum, &c.* quam mundus negligit, hanc vult Deus ab Ecclesia agnosci & emendari. *Iere. 46. Castigabo te in iudicio ne tibi innocens videaris.*

III. Odium Diaboli *rabiosiùs insidiantis Ecclesiæ quàm cæteris hominibus, Gen. 3. 1. Pet. 5. Aduersarius vester Diabolus tanquam Leo rugiens circumit. Iob. 1.*

IIII. Certa delicta sanctorum in Ecclesia quæ certis pœnis puniuntur. *Mich. 7. Iram Domini portabo, quia peccaui ei. Psal. 89. Visitabo in virga iniquitates eorum.*

Causæ Finales decem.

Calamitates non ideò nobis imponit Deus, vt perdat nos, sed vt nobis benefaciat, & vtilitates ac bona amplissima conferat. *Psal. 118. Bonum est mihi Domine, quod afflixisti me. 1. Cor. 11. A Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur,* ἀπωλώμεθα ἄν, εἰ μὴ ἀπωλώμεθα.

I. Vt calamitatibus & ærumnis impij ad pœnitentiam vocentur, & in pijs pœnitentia crescat. *Psal 83. Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine. Ose. 5. Thr. 3. Iere. 31. Castigasti me Domine, & erudi-*

& eruditus sum quasi iuuenculus indomitus: Conuerte me, & conuertar.

II. Vt explorentur, exerceantur, & confirmentur virtutes sanctorum, Timor Dei, Fides, Inuocatio, Patientia, Confessio, &c. quæ in rebus secundis fiunt languidiores, & paulatim prorsus extinguuntur, contrà autem crescunt, cùm ærumnis exercentur sancti. *2. Par. 20. Cùm ignoramus quid agendum sit, oculi nostri ad te Deus tolluntur, Esaiæ. 26. Domine, in angustia quærimus te, cùm nos corripis, clamamus anxiè. 1. Pet. 1. Paulisper contristati varijs tentationibus, vt probata Fides vestra preciosior auro per ignem probato inueniatur, in laudem & gloriam Dei. Esaiæ 28. Vexatio dat intellectum. Rom. 5. Tribulatio patientiam parit, patientia probationem.*

III. Vt Ecclesia agnoscat iram Dei aduersus peccatum commune totius generis humani, & aduersus interiorem in immundiciē, quam mundus negligit. *Ier. 31. Castigabo te in iudicio, ne tibi innocens videaris.*

IIII. Vt afflictiones sint testimonia immortalitatis piorum. *Norma enim iusticiæ Dei certa & immota est, vt pijs tandem bene sit, & malis malè.*

V. Vt sint testimonia certitudinis doctrinæ, & sint occasiones diligentius discendæ doctrinæ. *Psal. 119. Bonum est mihi*

Domine, quòd humiliasti me, vt discerem iustificationes tuas.

VI. Vt pij efficiantur similes imaginis filij Dei. *Rom. 8. 1. Pet. 4. Communicantes passionibus Christi gaudete, vt etiam in reuelationibus gloriæ eius gaudeamus exultantes.*

VII. Vt emendent peccata interiora, dubitationes, superbiam, securitatem, & vt caueant futuros lapsus. *Esaiæ. 27. Hic est fructus afflictionis eius, vt auferatur peccatum eius. 1. Cor. 4. Et si exterior noster homo corrumpitur, tamen interior renouatur quotidiè.*

VIII. Vt appareat Ecclesiam obedire, non propter alia corporum commoda, sed propter solam gloriam Dei.

IX. Vt præsentia & auxilium Christi in mirandis liberationibus illustrius conspiciatur, ac vt nos immediatè à solo Deo adiutos & liberatos esse appareat. *Vt Daniel inter Leones inquit: Mecum est Dominus, qui non derelinquit diligentes se. Psal. 109. Adiuua me & saluum me fac, vt sciant, quia manus tua hæc: & quòd TV Domine fecisti illud. Deut. 8. Adflixit te, ne diceres, fortitudo & robur manus meæ hæc omnia præstant.*

X. Vt amplissima præmia calamitosis promissa consequamur. Matth. 5. Talium est regnum cœlorum. 2. Corinth. 4. Momen-

Momentanea leuitas afflictionis, æternum pondus gloriæ parit.

Quæ sunt præcipuæ & efficaces Consolationes opponendæ Cruci & Calamitatibus?

Ethnicæ seu Philosophicæ consolationes sunt septem.

I. Necessitas ferendi mala, quæ dolendo tolli non possunt. Feras non culpes, quod mutare non potes.
II. Virtus anteferenda dolori.
III. Bona conscientia. Est aliquid magnis crimen abesse malis.
IIII. Exempla.
V. Collatio euentuum.
VI. Causæ finales seu vtilitates.
VII. In certa spes liberationis.

Quia omnia rerum vicißitudo est.

Nec fera tempestas toto tamen horret in anno,
Et tibi, crede mihi, tempora Veris erunt.

Christianæ autem Consolationis duodecim fontes sunt: *Ex quibus sex priores, etsi titulo cum Philosophicis congruunt: tamen res maiores continent: & adduntur sex aliæ verè efficaces, & Philosophis ignotæ: sed in solo Euangelio patefactæ & Ecclesiæ propriæ.*

I. Necessitas obediendi Deo, *sub cuius manu potenti nos humiliari oportet, & nequaquam eius sapientiæ & iusticiæ repugnare. 1. Pet. 5. Iob. 1. Dominus dedit, Dominus abstulit. Psal. 118. Castigans castigauit me Dominus. Psal. 39. Obmutui, & non aperiam os meum, quoniam tu fecisti.*

II. Dignitas virtutis, *& pietatis erga Deum, ac confeßionis anteferendæ omnibus rebus, secundis & aduersis. Matth. 10. Qui diligit patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus.*

III. Bona conscientia & vulneratę conscientiæ sanatio per fidem in filium Dei. *1. Pet. 4. Nemo vestrum patiatur vt homicida, fur, aut facinorosus. Ioh. 2. Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Deum, Iesum Christum. Ita lapsis agentibus pœnitentiam Deus commutat pœnas in salutaria exercitia Fidei, patientiæ, Inuocationis &c. quæ non signa iræ, vt in Saule, sed paternæ castigationis, sicut in Dauide, sunt.*

IIII. Exempla filij Dei, *Abelis, Apostolorum, martyrum & totius Ecclesiæ, quam oportet similem fieri imaginis filij Dei.*

V. Collatio euentuum. *Nam in rebus secundis omnes fiunt securiores & insolentiores.*

VI. Causæ finales seu vtilitates *decem priùs recitatæ sunt, quibus testimonia adiungantur.*

VII. Agnitio bonæ voluntatis DEI *certò promis-*

promissa propter Christum, seu beneuolentia Dei erga nos, Ebraeos 12. Prouerb. 3. Quem diligit Dominus, castigat, & flagellabat omnem filium, quem recipit,

VIII. Præsentia Dei in ærumnis. *Psal. 91. Cum ipso sum in tribulatione. Esa. 57. Habitabis cum contrito & humili Spiritu. Esa. 43. Meus es tu, cùm transieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te: cùm transieris per ignem, non consumeris.*

IX. Promissio auxilij diuini *corroborantis corda in ærumnis, vt perferre onus possint. Nahum 1. Bonus Dominus, & confortans in tribulatione. 1. Corinth. 10. Fidelis Deus, qui non sinit nos tentari supra vires.*

X. Promissio mitigationis calamitatum in hac vita, & certæ liberationis, vel in hac vita, vel in æterna. *Psal. 84. Mitigasti omnem iram tuam. Psal. 103. Sicut pater miseretur filiorum, &c. Psal. 50. Inuoca me, & ego eripiam te. Psal. 34. Multæ tribulationes iustorum, & ex omnibus liberabit eos Deus.*

XI. Ad has promissiones cùm accedit fides statuens Deum nobis adesse & mitigare calamitates, inuocatio petens in ærumnis auxilium & liberationem, obedientia, spes auxilij & liberationis, patientia, &c. Hæc omnia coniuncta, fiunt sacrificium Deo gratissimum. Psal. 51. Sacrificium Deo Spiritus contribulatus.

XII. Postremus & præcipuus consolationis locus est immortalitas Ecclesiæ, Resurrectio corporum, & portus vitæ æternæ, in quo Ecclesia liberata ex omnibus miserijs suauissimè acquiescet, & diuina luce, sapientia, iusticia, gloria, & læticia à Deo complebitur. 2. Corinth. 4. Momētanea leuitas afflictionis, æternum pondus gloriæ parit. Rom. 8. Conglorificabimur, si tamen vnà patiemur.

DECIMVS LOCVS.

DE IMMORTALITATE ECCLESIAE, RESVRRECTIONE corporum, & vita æterna.

Quid est Mors?

MORS corporis, est dissolutio Animæ & corporis, seu amißio vitæ, & interitus ac dissipatio corporis, qua propter peccatum redit in nihilum, quod fuit ante nihil.

MORS animæ spiritualis, est impietas seu peccatum non remissum, propter quod homo obnoxius est iræ Dei & æternis pœnis. Iohan. 5. Mortui audient vocem filij Dei, & audientes viuent, hoc est,

Impij

Impij ad Deum conuertentur, & noua iusticia ac vita donabuntur. Hanc primum ad Deum conuersionem, seu Fidem, qua credens in Christum, à peccato & ira Dei liberatur, nominat Iohannes resurrectionem primam, sicut & mors prima ipsi est discessus animæ à corpore, Mors secunda, æterna damnatio.

Quid est Mors piorum?

Est transitus Animæ, ab omni peccato & miserijs huius vitæ liberatæ, in æternam vitam seu beatam consuetudinem Dei & ecclesiæ cœlestis.

Quis est status Animarum post hanc vitam?

ANIMAE PIORVM, ex hac vita discedentium, non intereunt, nec somno opprimuntur sempiterno, sed superstites, Dei conspectu & consuetudine, in tranquilla pace & gaudio fruuntur, donec completo numero saluandorum, redeant in domicilia corporum suorum, & perfecta beatitudine & gloria vnà cum corporibus ornentur. Sapient. 3. *Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illas tormentum mortis: visi sunt oculis insipientium mori, at illi sunt in pace.*

Recita testimonia de immortalitate Animæ?

Matth. 10. Animam non possunt occidere. Luc. 23. Hodie mecum eris in paradiso. Matth. 22. Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob. Non est Deus Deus mortuorum, sed viuentium. Matth. 17. Christus colloquitur cum Mose, qui annis 1500. antè ex hac vita discesserat.

Luc. 16. Lazarus & Diues mortui viuunt.

Apocal 6.7. Vidi animas interfectorum propter verbum Dei, & sunt coram throno Dei, & seruiunt ei die & nocte.

DE RESVSCITATIONE MORTVORVM.

Qua Deus extrema mundi die, verbo suo omnipotenti, omnium hominum mortuorum corpora in vitam reuocabit, & rursum animabus suis coniunget, vt vel pœnas scelerum æternas cum Diabolis sustineant, vel pietatis & rectè factorum præmia in cœlis æterna percipiant.

Testimonia:

Sedes materiæ seu præcipuum testimonium est Decimum quintum caput prioris Epistolæ ad Corinth. 1. Thess 4. Ezech. 37.

Iob. 19. Scio quod Redemtor meus viuit, & quod in nouissimo die de terra resurrecturus sum, & rur-

& rursus circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum, quem visurus sum Ego ipse, & non alius. Reposita est hæc spes in sinu meo.

Esai. 26. Viuent mortui tui, interfecti mei resurgent. Dan. 12. Qui dormiunt in puluere terræ, euigilabunt, alij in vitam æternam, alij in opprobrium sempiternum. Qui autem docti fuerint fulgebunt sicut splendor firmamenti, & qui ad iusticiam erudierunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Iohan. 11. resuscitatur Lazarus, Ego sum resurrectio & vita. Ioh. 5. Veniet hora, cum omnes qui sunt in sepulchris, audient vocem filij hominis, & prodibunt, alij in resurrectionem vitæ, alij in resurrectionem iudicij.

DE EXTREMO IVDICIO.

Certò secuturum est EXTREMVM IVDICIVM, in quo Filius Dei Dominus noster Iesus Christus, in forma naturæ humanæ à se assumtæ, omnes homines pios & impios, ex morte resuscitatos, ante tribunal suum adducet, & impios, ac damnatos, vna cum Diabolis, in æternum ignem abijciet, pios vero & electos in regnum cœlorum ante mundi conditionem ipsis paratum transferet.

Matth. 25. Cùm venerit Filius hominis in gloria sua, & omnes sancti angeli cum eo, tunc sedebit

super

super thronum gloriæ suæ, & iudicabit, &c. Nam eo in loco, non solùm aduentus Christi ad iudicium, sed etiam processus & forma iudicij copiosè describitur. Act. 17. Deus constituit diem, in quo iudicabit mundum in iusticia.

Eccle. 12. Cuncta quæ fiunt, adducet Deus in iudicium, etiam occulta, siue bona siue mala.

DE MORTE ÆTERNA.

Mors impiorum æterna seu Mors secunda, erit horribilis pauor, anxietas & fuga, seu acerbissimi morsus & cruciatus cordis sentientis iram Dei, & supplicia corporum, in ignibus viuentium, in vstione sine combustione, dolore sine extractione.

Iohan. 1. Qui non credit filio, non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum.

Rom. 2. In reuelatione iusti iudicij Dei impijs ventura est indignatio & ira & adflictio & angustia super omnem animam hominis facientis malū.

Marc. 9. Abijcientur in gehennam, vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.

Matth. 25. Ite maledicti in ignem æternū, &c.

DE VITA ÆTERNA.

Iohan. 3. Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.

Ioha. 6. Hæc est voluntas Dei, vt omnis, qui videt Fi-

det Filium, & credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.

Iohan. 17. Hæc est vita æterna, vt agnoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.

Quid est vita æterna?

VITA æterna erit conspectus Dei, quo Ecclesia resuscitata ex morte, & prorsus ab omni peccato licerata, coràm intuebitur essentiam & voluntatem totius diuinitatis, æterni patris, filij & Spiritus sancti, & noua ac perpetua luce, sapientia, iusticia, vita & læticia æterna à Deo, qui erit omnia in omnibus, complebitur, & vicissim Deum celebrabit.

DEO GLORIA.

BREVIS

BREVIS EXPLICATIO

PRECATIONIS DOMINICÆ.

Pater noster.

PRæcipuus & summus DEI cultus, & optimum ac præstantissimum hominis opus, cuius causa & conditi à Deo, & per Filium redemti sumus, & Spiritu diuino sanctificamur, atque adeo solius Ecclesiæ Dei proprium decus, & firmiss. totius vitæ piorum præsidiũ est, vera agnitio & Inuocatio Dei. Quam vult Deus à nobis assiduè & religiosè exerceri, & bona ac liberationes in periculis à se peti & expectari, vt DEO honorem proprium diuinitatis tribuamus, eumque non inane nomen esse, nec negligere homines, sed verè adesse nobis præsentem & opitulatorem, & in tantis miserijs opem ferre inuocantibus agnoscamus & profiteamur. Itaque hunc Inuocationis cultum præcipuè à nobis Deus flagitat, & optimam ac perfectissimã FORMAM PRECANDI, ipse nobis

per

per Filium suum Dominum nostrum Iesum Christum, *Luc. 11. & Matth. 6.* præscri bit, in cuius recitatione hi sex loci assiduè considerandi sunt.

I. QVIS SIT VERVS DEVS quem compellamus, videlicet æternus Pater Domini nostri Iesu Christi, vnà cum Filio suo & Spiritu sancto, patefactus in Ecclesia, misso hoc ipso Filio mediatore, propter quem nos quoque confugientes ad ipsum fide, paterna beneuolentia complectitur, & nostras preces recipit, & exaudit. Hanc doctrinam continet compellatio Dei: Pater noster.

II. MANDATVM Christi, quod præcipit inuocationem, & quidem nominatim recitationem huius formæ verborum à Christo traditæ, Luc. 11.

III. POENITENTIA seu conuersio ad Deum vera, agnoscēs & deplorans suam indignitatem & peccata, vt Daniel orans, primùm peccata sua confitetur.

IIII. PROMISSIONES DEI amplissimæ, quod velit Deus & peccata agentibus pœnitentiam remittere, & nostram inuocationem recipere & exaudire, & bona optata, eo ordine & modo exhibere, quem in promissione expressit. Ideo dicimus, Pater noster, Pater est. Ergo paterna

terna beneuolentia & στοργῇ nos comple-ctitur, vt Lucæ 11. multis verbis dicitur: Si vos, cùm sitis mali, nostis bona dona dare filijs vestris: quantò magis pater vester cœlestis dabit Spiritum sanctũ petentibus. Psal. 103. Sicut pater miseretur filiorum, &c. Et est noster pater, non solum diligens suum vnigenitum filium, de quo inquit: Hic est Filius meus dilectus: sed etiam propter eum Nos adoptiuos filios amans, respiciens, curans, defendens, exaudiens, saluans.

V. FIDES addens Amen diuinis promissionibus, & certò statuens, sibi à Deo patre φιλοστόργῳ peccata remitti, suas preces exaudiri, propter filium mediatorem.

VI. RES PETENDAE spirituales & corporales, æternæ & præsentes, quæ sapientissimo ordine, & admirabili breuitate, in septem petitiones à Christo distributæ sunt.

PRIMA PETITIO.

Sanctificetur nomen tuum.

Nomen significat noticiam seu agnitionem, inuocationem & celebrationem.

Sanctificare significat sanctum, idest, purum, mundum, Deo placens facere, & dicare vsibus diuinis.

Peti-

Petimus igitur hac oratione, Sanctificetur nomen tuum.

I. Vt noticia seu agnitio Dei vera & pura in genere humano conseruetur, & omnes falsæ opiniones de Deo, & dubitationes ex nostris mentibus tollantur.

II. Vt vera de Deo doctrina & vox Euangelij latè spargatur, & deleantur omnia impura dogmata & hæreses, quibus nomen Dei contumelia afficitur.

III. Vt vera & munda inuocatione & obedientia, sine maculis peccatorum, Deus colatur & celebretur, & Dei gloria, nostro nomini & famæ, & omnibus rebus humanis à nobis anteferatur.

SECVNDA PETITIO.

Adueniat regnum tuum.

REGNVM DEI in hac vita, est gubernatio Dei, qua non solùm naturam vniuersam à se conditam, ac genus humanum in primis custodit & conseruat, & sceleratos punit, sed etiam per ministerium Euangelij propter Christum colligit sibi Ecclesiam omnibus temporib. mundi, & remittit ei peccata, liberat eam ab æterna morte, sanctificat eam dato Spiritu sancto, mirabiliter defendit & regit eam, oppressam cruce in hac vita, re-

primit diabolos & tyrannos, & prauos naturæ impetus, & resuscitat eam ex morte ad vitam & gloriam æternam.

Hæc bona omnia, videlicet:

Collectio Ecclesiæ per vocem Euangelij, destructio regni diaboli, gubernatio Spiritus sancti, defensio in hac vita, & regnum ac gloria cœlestis: petuntur hac oratione, Adueniat regnum tuum.

TERTIA PETITIO.

Fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terra.

Petimus, vt nostræ voluntates, nostra consilia & actiones cum voluntate & verbo tuo congruant. Flecte nostras voluntates, vt tibi in tolerandis rebus aduersis, faciendis officijs vocationis, deniq; in omni vita obediamus, vt Angeli in cœlo tibi obediunt: da felices successus in vocatione Ecclesiastica, Politica & Oeconomica, vt tibi grata fiant.

QVARTA PETITIO.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodiè.

Significat autem panis quotidianus ipsam vitam corporis, bonam valetudinem, victum, vestitum, pacem, honestam disciplinam, fertilitatem terræ, hospitia, domos,

domos, defensionem liberorum, coniugum, bonæ famæ.

Hæc bona omnia, ad sustentationem huius vitæ corporalis necessaria, vult Deus à se peti propter quatuor causas:

Primùm, vt agnoscamus Deum datorem & conseruatorē esse huius vitæ corporalis, nec casu offerri panem quotidianum, sed certo Dei consilio distribui.

Secundò, vt sciamus Deum in hac vita velle seruare Ecclesiam, ipsum rectè agnoscentem, inuocantem, & in omni æternitate celebrantem.

Tertiò, vt Fides, Inuocatio & gratiarum actio, in petitione, expectatione, & vsu Panis quotidiani exerceatur.

Quartò, vt commonefaciat nos de Christo, qui est panis vitæ æternæ, de remissione peccatorum, & bonis spiritualibus, quorum petitio semper prælucere debet petitioni bonorum corporalium. Ideò statim additur:

QVINTA PETITIO.

Et remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris.

Qua petitur remissio peccatorum, non propter nostram mansuetudinē seu misericordiam remittentem alijs offen-

ſiones & iniurias, ſed propter ſolùm Chriſtum, vt tota Euangelij doctrina teſtatur, ac vt cætera bona opera neceſſariò remiſsionem peccatorum comitantur vel ſequuntur, ita vt non poſsit remiſsio peccatorum & gratia retineri, niſi adſint, nec tamen ſunt cauſa remiſsionis peccatorum, ſed effectus vel neceſſariò coniuncta, ſic manſuetudo quoq; ſeu miſericordia remittens alijs offenſiones, neceſſaria eſt.

SEXTA PETITIO.

Et ne nos inducas in tentationem.

Tentatio ſignificat aliâs ſolicitationem ſeu impulſionē ad quæcunq; peccata ſeu lapſus: aliâs calamitates & miſerias, quibus vel punimur vel probamur.

Ne inducas, Id eſt, ne ſinas nos impelli à diabolo ad peccata & lapſus, ſed guberna nos Spiritu ſancto tuo.

SEPTIMA PETITIO.

Sed libera nos à malo.

Liberato nos ex omnibus malis, præſentibus & æternis, à peccato, morte, tyrannide diaboli, calamitatibus publicis & priuatis, & donato nos vita & lætitia æterna.

Quia

Quia tuum est regnum.

In fine adduntur causæ impulsiuæ & finales, propter quas expectamus bona petita in septem petitionibus prioribus.

Tuum est regnum) Tu es Rex & pater noster, ideo vis bona promissa dare.

Et potentia) potes nobis dare bona promissa, quia es omnipotens.

Et gloria) Causa finalis, propter quam petuntur bona, sit Gloria Dei, videlicet, vt, cum Deus exaudit, testetur sibi curæ esse Ecclesiam: vt blasphemi refutentur, qui disputant, non esse Deo curæ res humanas, non exaudiri Ecclesiæ preces: vt Fides piorum confirmetur, vt cùm hæc beneficia recitantur, multi agnoscant DEVM, & inuitentur ad Timorem Dei & Fidem: vt gratiarum actione Deus celebretur.

Amen) Certum sit & eueniat, quod petimus. Hæc nostra precatio non est inane murmur, sed certò statuimus exaudiri nostras preces, & certò impetrari optata bona iuxta promissiones, Amen.

Regula Vitæ.

Philip. Melanch.

Nullus est felix conatus & vtilis vnquam,
Consilium, si non detq́ iuuetq́ Deus.
Tunc iuuat ille autem, cùm mens sibi conscia recti
Mandati officij munera iusta facit.
Et simul auxilium præsenti à numine Christi
Poscit, & expectat non dubitante fide.
Sic procedit opus faustum populisq́, tibiq́,
Nauis & aura tua vela secunda vehet:
Inuictamq́ Dei dextram vis nulla repellet,
Omnia cogentur credere prona Deo.
Ipsa etiam quamuis adamanti incisa feruntur,
Cùm petimus, cedunt fata seuera Deo.
Nec Deus est numen Parcarum carcere clausum,
Quale putabatur Stoicus esse Deus.
Ipse potest solus currus inhibere volantes,
Ipse velut scopulos flumina stare iubet.

PRECATIO EX 2. PARAL. 20.

IN tenebris nostræ & densa caligine mentis,
Cùm nihil est toto pectore consilij:
Turbati erigimus Deus ad te lumina cordis,
Nostra tuamq́ fides solius orat opem.
Tu rege consilijs actus, pater optime, nostros,
Nostrum opus vt laudi seruiat omne tuæ.

TE

TE maneat semper seruante Ecclesia, Christe,
Insertosq; ipsi nos tua dextra tegat.
Tres velut in flamma testes Babylonide seruas,
Rex vbi præsentem te videt esse Deum.

PRECATIO SVMTA EX DICTO GENESIS I.
Spiritus Dei fouebat aquas.

PHILIP. MELANCH.

SPiritus vt Domini nascentia corpora fouit,
Cùm manus artificis conderet ipsa Dei.
Sic foueat cœtus, qui Christi oracula discunt,
Accendatq; igni pectora nostra suo.

FINIS.



Tertia consideratio est conversionis ad Deum. Dicat aliquis, quomodo potest eum scriptum sit: peccatores Deus non exaudit. Hic tenenda est vox iuramenti: vivo ego dicit, nolo mortem peccatoris &c.

Altera consideratio est promissionis. Nec conversio ad Deum nec conversio ad Deum, nec invocatio fieri potest, nisi simul promissione gratiae et fiducia mediatoris erigamur, ut accedamus ad Deum, iuxta dictum ad Ephesios per hunc audemus accedere confidenter per fidem in Christum.

V consideratio est de fide. Hic primum sciendum est fidem quae petit remissionem, reconciliationem et vitam aeternam, gubernationem animae, oportere in his hae ipsa bona petere et expectare sine conditione. Sed fides quae petit bona corporalia, ut David petens se reduci in regnum petit cum conditione: Si Deo
2. Reg. 15

6 consideratio est rerum petendarum, sicut Ioh. inquit Quidquid petieritis patrem secundum voluntatem eius dabit vobis.

Quid est gratiarum actio?

Est ergo gratiarum actio erga Deum veritas quae profitetur, accepta esse a Deo beneficia, et vere esse Deum omnipotentem praesentem et opitulatorem. Et est opus iustitiae, qua te obligas ad officia Deo grata.

Quare Ecclesia subiecta est Crucis

Causae autem praecipuae sunt 8 propter quas Ecclesia quam reliquum genus generis humani, sicut dictum est Iudicium a Domo Dei incipit vers.

Peccatum, Sathanas. Crux factum iudicium
Doctrina, testes Christo similes Drey astück

Balthasar Simon

Quilibet suæ fortunæ fabricator

Anno 1603

Zn 1176

… corpore orat, animam lingua laborat.



